UTRAQ CIVIS

MEMORIAE RERUM GESTARUM

Ab Illustriss. & Excellentiss.

DD. IOANNE ZAMOSCIO

Magno Cancell. Regni Poloniæ, et Copiarum Imperatore perpetuo,

Eiusque superstiti splendori filio tanti Patris implenti uestigia.

Illustrissimo Domino

D. THOMÆ ZAMOSCIO

Præfecto Knissinen, Goniadzen. etc.

PANEGYRICUS.

A D. ANDREA BAIANO

Lusitano scriptus,

ET A IACOBO LAURO ROMANO DICATUS.

ROMÆ. Apud Bartholomeũ Zannetũ. 1617.

Superiorum permissu.











ILLVSTRISS. DOMINO

D. THOMAE ZAMOSCIO

PRAEFECTO KNISSINEN. GONIADZEN. ETC.

IOANNIS ZAMOSCII

Regni Poloniæ magni Cancellarij, & præfecti generalis militum perpetui filio.



TSI viri nostro hoc seculo insignes non desunt, qui clarissimi Herois D. IOANNIS ZAMOSCII parentis tui defuncti (id enim viuente, pro eius modestia liberè non audebant) res gestas, vel historia, vel oratione, vel carmine, seu pingendi, siue sculpendi arte concelebrent; pars, vt styli, ingeniique præstantiam ostendant, pars, vt rei tantæ magnitudine allecti

 ea il-

ea illustrari desiderent: nihilominus causa potior, & honestior, nempe grati animi pensio deerat. Eam ex occasione tui in hanc vrbem aduentus arripui, vt studium erga fortissimi, & sapientissimi patris tui (quem viuum suspexi, coluiq;) memoriam aliquo munusculo declararem. Cum ergò Iconographiam, seu historiam rerum ab illo gestarum imaginibus descriptam, multis ab hinc annis inchoassem, nunc tuo auspicio absolui, & absolutam dedico, cũ panegyrico claro Iconographiæ nostræ commentario; quem sacerdos Lusitanus vir non vulgari eruditione, & in theologicis, atque politicis non parũ versatus conscripsit; cuius ego soluta, & ligata oratione maiori ex parte in nostro antiquæ vrbis splendore vsus sum. Queritur panegyrici Auctor, & meritò queritur, quòd panegyricus non ab eo, sed ipse à panegyrico relinquatur; memor Isocratis panegyrici, quem per nouem ille annos

confe-

confecit: noster verò Auctor nec nouem explesse dierum hebdomadas in eius scriptione meminit. Tantûq; abest, vt partus existat, vt nec abortus, quidem nomen obtineat. Vtcunque sit tamen argumenti claritas, atque adeò charitas, qua res Polonicas tracto, multitudinem vitiorum operiet. At quid ego panegyricum patri tuo scribendum curabo, quando tu vnus illi panegyricus longiùs, meliusque fuisses? & in te quadrare illud Ecclesiastici videatur dicentis? *Mortuus est ille, sed quasi non mortuus: similem enim reliquit post se* filium, quem *in vita sua vidit, & lætatus est in illo: reliquit enim defensorem domus suæ, contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.* Cap. 30. Ecquis enim tuam mirabilē indolem cum morum honestate coniunctam, quis tuos in armis, literisq; progressus considerat, qui te defensorem, & vindicem domus, idest patriæ tuæ contra eius hostes, qui te amicis reddētem gratiam, videlicet studiorum,

& stu-

& studiosorum Mecœnatem in vtroque parentis tui æmulum fore non credat? credit hoc Polonia, immò & suũ in te amissũ ZAMOSCIVM videre non dubitat. Intereà viue felix, & tanti parentis insiste vestigijs huius monumenti non immemor, quod tibi viuæ eius memoriæ, & imagini consecro, meque in tuo, quo Pater tuus, obsequio, & officio contine. Vale.


Obsequiosiss. D. V. Illustriss.

Iacobus Laurus.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacr. Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesg.

Imprimatur, Fr. Gregorius Donatus Rom. Mag. Reuerendiss. P. Fr. Hiacynti Petronij, Sacr. Palatij Apostol. Mag. Socius, Ordinis Prædicatorum.



PANEGYRICVS.





SI faustum, felixque semper fuit vniuersæ virtutum, & literarum Reipublicę, de viro non silere clarissimo, qui boni ciuis, strenui militis, prudentis imperatoris, integri magistratus, philosophi sapientissimi, religiosi Principis, nè dũ Christiani partes impleuerit: hoc sanè silentium in IOANNE ZAMOSCIO turpe, & ingratum fore non dubito, qui semper cùm se ipsum, tùm hostes Reipublicæ sæpissimè debellauit; qui humanæ cupiditatis, immò & necessitatis oblitus non sibi, non posteris, non famæ visus est; sed Deo, Regi, patriæ, literis, & amicis tantùm vixisse. Quem ideò nullus est, qui priuatim, & publicè prædicandum non censeat: nullus etiam, qui post obitum, quò (vt piè creditur) verè ac tutò sibi parta felicitas, non laudationes, non epicedia, sed panegyricos, & gratiarum actiones eius memoriæ consecrandas. Cui verò, quam tuæ memoriæ debentur, ò ZAMOSCI, qui dum in humanis ageres,

quæ pro patria prudenter, fortiter factitabas, non tuo labori, sed Sigismundi Regis pietati referebas? Hoc debitum tibi soluendum supererat, ideò post funera tibi potius panegyris, quàm laudatio conuenit. Alij rerum suarum gloriam ex applausu, & ambitione captantes, eiusmodi iure cedere visi post obitum: tu verò qui pro tua temperantia, & moderatione grates, & laudes, vel ab amplissimo Senatu viuens abnueras, nunc postquam commune exilium cum cælesti patria commutasti, eas à ciuibus, à popularibus, ab aduenis, hostibus, & amicis exigis, eas vendicas, & habere non piget, quas extrà pudorem, & periculum, extra sortem, & inuidiam sustinere iam potes; immò quid amplius, & gloriosius, quam vt ingenio assequi, & oratione complecti mortales hìc possumus. Itaque non vereor, nè cogitando incredulitati locus, aut loquendo adulationi, aut tacendo offensioni relinquatur. Si ardua, & difficilia cogitauero, aduc, adynata, & incredibilia de te cogitare: Si multa, & magna, adhuc plura, & maiora de te dicere, debuisse, conuincar: si parua, mendacij arguar: si pauca, silentij: non ea tamen tuæ magnitudini, sed meæ potius imputanda penuriæ. QVID autem gloriosius, & diuinius, quàm ex vnius viuendi ratione Principis, ex cunctis, vel singulis meritis, non tam vniuersa ipsius encomia, quam totam aliorum disciplinam explicari? sibi gloriam, & claritatem, cæteris stuporem, & imitationem proponi? Id equidem conficerem si tanti viri pietatem, & religionem, ac probitatem, si magnitudinem animi, moderationem, atque constantiam, si fidem, æqui-

tatem,

tatem; liberalitatem, si sapientiam cum rerum omnium vsu, & cognitione coniunctam vobis ante oculos proponam. Verùm, quia gloriosa hæc virtutis effigies suis illustrata splendoribus, omnem vel aquilæ, vel lyncis aciem perstringere, & turbare potuisset, vt ipsa tutò videndam se præbeat, cælesteque ostendat artificium, nonnullas misceri vmbras oportuit, non ex arte quidem oratoria, quas respuit, sed ex natura, & fortuna, quas ipsa perficit, accersitas. Quid autem vmbras non appellauerim, quæ suis relictæ viribus neminem possunt pro dignitate exprimere, meritisque laudibus exornare? Quid? si hæc munera, & ornamenta, quæ fortunæ sunt, ambiguo: quæ naturæ, necessario se modo communicent; nec tamen omnibus, sed paucis euenire videmus? atque etiam semper hæc accipientium ante merita non requirit: illa immerentes plerumque muneretur? Quare hæc laudandi segetem, non imitandi, illa neutram suppeditat. IN hoc solum sistere, & immorari difficile, & inuisum: in illo, vanum, & inutile: si vtrumque coniunxeris, præstantissimum. COMMENDATIO, claros, celebres, inclytos viros constituit; clariores, celebriores, magis inclytos æmulatio. LAVDARI simpliciter grande quid auribus insonat; sed euanescit, & rationi quid futile, & mortale quid suggerit. At verò in alios per exemplum, & imitationem diffundi, eò videntur gloriosius, quò magis diuinæ fœcunditatis cunctis se se largientis ingenium repræsentat. Vtrumque tua mihi virtus pręstat ò ZAMOSCI: itaque, vt tantis mea tuis laudibus surgat oratio, vtramque glo-

riam sic nectere, & copulare contendam, vt non magis tuas res gestas celebrare videar, quàm docere: non minus extollenda dicere, quam imitanda proponere.

Quoties in augustissimo Naturæ, Artiumque, & Virtutum theatro aciem mentis circumfero, diuersas agitari scenas conspicio: vbi personarum multitudo, suspendit animos, varietas delectat, pulcritudo mouet, actio suauissimè tenet, ac compedit, nè quòuersus migrare possint, aut debeant: vbiquæq; eò magis studet excellere, quo Deum summè bonum agere potest expressiùs. Natura suarum rerum generibus, formisque speciosa comparet: prouidam in necessarijs, in varijs constantem, in perituris perpetuam, & quasi immortalem se gerit. Suis sæpe in actibus ab ipso spectatore sui Deo, & artifice commendatur. Sed quoniam huiusmodi commendationem non ad merita, neque remunerationem, sed solum ad magnificentiam destinari cognoscit; bonitatis cedit arbitrio, illius tantum vestigijs, & saltem initijs inhærere contenta. Ex alia parte Scientia artium stipata consortio, clarissimis suis togata principijs, & habitibus prodit in medium; Dei scientiarum partes quoque agere conatur in terris: veritatem demonstrat; euidentiam arguit; immutabilitatẽ insinuat; omnes suas facultates ostentat. Cæterum quòd in illis verè vnicam felicitatis gemmam non inuenit, pro viribus actitando, actum se egisse semper non dubitat. Enimuerò beneficia, quæ ad mortalium mentes ditandas, & excolendas suppeditat, longè abesse videt à iustæ bonitatis encómio: dum

studia,

ſtudia, & voluntates, ad benè, & honeſtè patrandum excitare, propriæ eius partes non ſint. Tandem Virtus accedit, & omnium gratiſſimum ſui ſpectaculum Deo præbet. Quippe quæ cæteris dignius perſonam ipſius ſuſtinet; & hominem, ad quem diuertitur, felicem, & beatum conſtituit. Hæc Naturæ eiuſmodi imminutæ, & vacillanti coniuncta eam redintegrat, atque conſolidat: initijs bonitatis inſerta eamdem abſoluit, & ad faſtigium, metamque perducit: merita parit, & amplificat, præmia maturat, honores confirmat. Iam vero ſi Scientiarum fiat acceſſio, ingenia ad terſius, & ſublimius contemplandum, corroborat: præterea ad rectam rationis normam moderatur arbitrium, voluntatem componit, ſuumque ad ipſius ſcopum verè, & feliciter attingendum, perdeſtinat. Atqui quòd hæc non ita facilè ſimul comprehendi queant, talia ad ſeculares ludos ſpectacula facere, non ab re dicimus. Virum bonum, & ſapientem, qualem vix reperiendum fore, dicebat Antiquitas, vnum noſtro ſeculo inueniri, quis neget? Nonnè, qui tuum ò ZAMOSCI, ſingulare ingenium, mirabilem ſapientiam, incredibilem animi fortitudinem, cæleſtem doctrinam cum morum probitate coniunctam conſiderat, te talem eſſe virum fatebitur? Quidni? ſi à puero naturæ honeſtos igniculos literarum ſplendori, pariter & virtutum flammis admouiſti, quibus illuſtratus, & accenſus domi tuis lucere, & ardere meruiſti, foriſque alios quoque viros egregios accendere; & illuſtrare potuiſti? Locus vbi cæleſte hoc

PATRIA. edi munus incœpit, ZAMOSCIA fuit, vbi editus

vitam,

vitam, nomen, faſcias, cognomen, educationem, omnia eidem cum fœnore incredibili redditurus accepiſti. Quippè pro vita mortali, victus ad maiorem Dei cultum templis, ſtudijsque literarum vberrimos, reditusque ampliſſimos aſſignaſti; pro nomine nominis celebritatem reddidiſti, pro faſcijs, faſces illius ampliaſti, pro cognomine eam titulis, & ornamentis auxiſti, pro educatione eamdem ſartam, tectamque ab omni temporis, & hoſtis iniuria conſeruaſti, arcium, turriumque præſidio communiſti, & quod caput eſt, antiquæ, & claræ tuæ gentis domicilio decoraſti, atque etiam confirmaſti: vt perpetuam tui, & tuorum in Deum, patriamque multis antè ſeculis excellentium memoriam, & exemplum poſteris commendares, & oſtenderes, eumdem hunc eſſe locum, vnde tanquam ex nido ſublimes Aquilæ SHARI tui viri equeſtris, & ſenatorij ordinis inſignes, ac belli, paciſque laude conſpicui ad Regni defenſionem, & cuſtodiam, ad infeſtorum exactionem Theutonum, & exitium deuolabant. Nè verò omnes, aut ſingulos, pro tuæ familiæ veteris, & illuſtris præconio, & meritis in Rempublicam recolendis enumerem, teſtem adducam omnium quidem calculo probatiſſimum (quem ad ſempiternam memoriam ſuis monumentis, & annalibus Polonica obſignauit antiquitas) Sharum, vnum nomine FLORIANVM, virum equeſtris tunc ordinis florentiſſimum, qui ſub Vvadiſlao Loctico Rege ſuo militans, & in acie aduerſus perduelles patriæ dimicans, qui Pomeriana ſubrepta, iam Cuiauiam occupare tentabant; & poſt- MAIORES.

mm.iv quam

quam aduerso pectore densissimas inimicorum hastas sustinuit, multasque obtriuit; tribus tandem, ac pluribus confossus, nec tamen (quod ad maiora seruaretur) extinctus, ilia manibus per vulnus cohibens iacebat in campo. Quasi tunc illo actu, gestuq; secum loquentem innueret: Sistite, sistite, mea viscera, & ad multa alia pro patria subeunda certamina vos recipite. Per pietatem, & fidem, qua estis lacera, obsecro vos, & obtestor, nè effluatis. Eia agite cordis imperio, vbi deficiente vita, virtus non deficit, obsequimini. Lictores circumstant, manus administræ vos tenent; non elabemini. Sic Sharum suis noctu, diuque obluctantem visceribus, Rex qui postridiè victor campum reuiserat, suis recognoscendis occisis, & humandis solicitus semimortuum offendit: paternè condoluit: atq; existimans, eum vix fore vitæ, vocisque participem, conuersus ad suos, cum de magno viri cruciatu verba faceret: ex quasi declamato corpore improuisa vox redditur: maiorem esse pago suo malum vicinum habenti cruciatum. O dignam claro, fortique Polono sententiam. Regis commota, & attrita sunt viscera, Shari integris, quasi abrupta non fuissent, remanentibus, non tunc in lacrymas, non in gemitus prorumpentis, non ostentantis plagas, neq; augentis (si eò magis augeri potuissent) sed quod erat difficilius, suas minuentis angustias. Cùm vir etiam prudentissimus non sua, sed Reipublicæ vulnera pateretur, eaque sanari præcupiens cladem potiùs à communi, quàm suo corpore propulsari contenderet. Quid per Deũ immortalem, viro sanguinem, & viscera pro ho-

Mart. Crom. lib. 11. de reb. Polonicis.

nore,

nore, & salute patriæ profundenti hac honestius querimonia conuenire potuit? His Rex exceptis, tanti viri constantiam, fidemque commendans, eidem præter vires naturæ superstiti totum pagum infesto vicino expurgatum donauit, dignum profectò ducens Reipublicæ maioris imperio, qui adeò communem antè oculos salutem proponebat, vt extremùm suæ indigens, & oblitus, eam non sibi, sed pago comparandã curaret. Quid ergò mirum, si deinde Lelitor vulgò ab ilium effusione dici meruerit, eo ad minores transmissò cognomine, tanquam sempiterno, vt ita dicam, exuiscerati Ciuis encomio? cui & gentile stemma contexuit; & cum eo antiquius commutauit. Nam pro hircinis cornibus, quibus Kozleroghus antea dicebatur, tres hastas transuersim positas sibi, suisque vtendas obtinuit: Non video cuiquam, si liberum fuisset, effingere sui generis, & virtutis insignia, quid hoc gentili, veroque stemmate significantius, quid absolutius, quid gloriosius facere potuisset. Vbi ex ipsius inscriptione cognominis, fidem, & ex visceribus patriæ impensum amorem non minus, quàm ex insignibus Christianæ virtutis augmenta, meritaque cognoscimus. Felix permutatio immò, & gloriosa metamorphosis, qua Kozleroghus in Lelitorem transfunditur, & in hastas cornua commutantur. Vtrumque palmarium pro Repub. facinus designare, quis dubitat? Nescio tamen quid amplius, quid & dulcius sub hac hastarum triade latere conspicio. NAM SI SVBLIME arduumq; videtur hostes ferire, & profligare pro patria, non minus, quin potius maius est, STEMMA.

atque

atque iucundius in eiuſdem ſancto, pioque certamine, vulnerari, transfigi, & occumbere. Qui ſtrenuè, & incruentè ſe gerit in acie, vt victoriæ vel exiguam meruiſſe partem videatur, commilitonem teſtem deſiderat, aut Ducis expectat arbitrium: qui verò haſtiles ictus tam miti, & amico animo perfert, quam duro, & infeſto multiplicat, eius ſibi gloriæ non reliquias, ſed cumulum vendicat; & in ſe ipſo meritorum lucem, fidemque reperit, nec alio quam ſuorum vulnerum ſuffragio indiget, quæ *ſine aſſertore præconium, propriaq; lingua virtutis ſunt*, præterea pietatis per hiantia viſcera adhuc in Sharo, eiusq; in poſteris proloquentis. Nonne ſemper hæc tua in Deũ patriamq; pietas extitit? nonne hoc idem in ciues ſtudium? Vnde? niſi quod ex hoc clariſſimo Sharo, atque eiuſmodi tuis alijs maioribus hauſeras? Vnde? niſi quòd ipſo cum lacte biberas, monitisque, & exemplis acceperas? Hoc tibi hæreditarium, propriumque nomen, & officium ſanguis, & natura ſubinnuit; & quodammodo te cogit accipere. Agnoſcis tu quidem naturæ gratiam; ius accipis; animo defigis officium, opportuno pariturus obſequio, quo non ſolùm ad tui nominis ſplendorem, tuorumque parentum memoriam, & poſteritatis exemplum defenſorem, patremque patriæ dici, colique mereretis ab omnibus. Quòd ſi hæc à maioribus non accepiſſes, hoc ſolùm tibi ſatis ſuperque fuiſſet, quod nobilem te Polonum produxerint; vnde omnia Regi, patriæque officia deberi, & omnia ornamenta tibi non ingrata, & inepta fore cognoſcis. Huc ſanè pertinet, quod non ſemel ſermoni-

Caſſiod. de mil. Rom. ad Senatum.

NATALES.

bus vſurpabas; nihil eſſe extrà patriam Polono viro nobili neceſſarium; nempè eo titulo, omnia virtutum præmia contineri ſignificans. Quamobrem ſanctiſſimè iudicabas, eiuſmodi quempiam non decere, aliundè dignitates petere, non honores ambire, non magiſtratus accipere, non opes, & diuitias comparare; niſi omnia ex patria pro meritis expectare. Quin etiam hac vera, & Chriſtiana ſententia Ciuitatem non alioquin, quàm ijs, quibus cœpta eſt, bonis ciuibus, conſeruandam, & augendam cēſebas. CARIORA HABEMVS, quæ fecimus, indulgentiùs fouemus, liberaliùs propagamus, quæ cū labore peperimus. Quemadmodum ſi machinæ quidquā ex ſtructura, & cōpagine ſubtrahatur, paulatìm per membra ruere eamdem percipimus: ità bonos, clarosque ciues ſi fortè peregrina inceſſit ambitio, vel cupiditas, confeſtìm ipſos iam fidei, & amoris vinculum reſpuentes, publico reſilire corpori, idque eò grauius quò lentiùs trahere in ruinam cognoſcimus. Iam verò ſi rem ipſam eius in appellatione quæramus, duplex etymon, vtrumque conſpicuum, & alterum alteri non cedens, eruimus. Quid vir Polonus linguæ maternæ notatione pretēdit, quam *venatorem*, *vel æquatorem* exprimere? Quid ſubindè Polonia, quàm *venatio*? quid eadem niſi *planities*? Húc nobiles venatores concurrite: hic ſemper veſtris aptam prædam laboribus inueniri non dubium: Hìc vobis ad equitandum campus excurrit: hìc locus merendi patet, & in longum, latumque æui ſempiterni ſpatium protenditur. Si æquatores dicimini, æquitatem hanc geſtis oſtendite. Quid

Cromer. lib. 1. cap. 13. de de rebus Polonicis.

NATIO.

adhuc

adhuc in deuijs saltibus, & in præruptis montibus incognitam agitare prædam contenditis, vbi errores, & præcipitia tam certa, tam multa sunt, quàm nulla, vel incerta venatio? vt cumque enim foris excellatis, ac per egregiè res gestas, & præclara facinora vela faciatis ad gloriã ijsdem semper *inuidiam*, & *calumnias* excitantibus obruemini. MISERABILIS iactura, nefarium quid crimen insinuat. Si id nosse cupitis: quid extremi Sinæ de hac re sentiant; quid eorum barbara philosophia dictet, obseruate: *Matrona*, inquit, *casta duos nescit viros, nec fidelis cliens duos dominos*. INGENIOSAM hanc sæpè ambitio, & cupiditas inuenere vindictam: dum cui talem suasere perfidiam, eundem suis meritis offendi, & iactari permittunt. DEPLORATA igitur insania est, dubia pro certis arripere, & exilium cum patria mutare, extrema calamitas. Ponis hanc ZAMOSCI sententiam, eamque tueri, & probare non refugis, non desinis: quin rei ipsius periculum, & argumentum in te ipso facis; te præside, & doctore confirmas. Enimuerò quid hac positione manifestiùs per omne æuum, quid per omnia ætatis discrimina se se inuicem præoccupantis ambitu, declarasti? Verbis id ipsum repetis; literis, & monumentis euulgas; monitis inuitas; opere præstas: cogis exemplo. Cum laude vincis, cum gloria triumphas. quòd strenua aduersæ partis obiecta, quæ eam tibi mentem demoliri nituntur, non desunt, omnia Dei ipsam muniente, & collustrante præsidio, tanquam mera sophismata, ac somnia dissipas. Natura tibi recens adhuc, & bullata, puerilibus imbuta

Trigaut. è Societ. in exped. Sinica.

AETAS.

B 2 primi-

primitijs, dum te puerum (quæ puerilis ætas est, & ingenium) suos impellit ad ludos, eos fore necessarios, nè dum congruos teneris ijs annis obijciens, tu quasi tunc *pueritiam à puerilitate* dignoscens, & vtriusque sapiens discrimine, illam tanquàm homini à Deo datum munus amplecteris: hanc verò, vt ipsius affectæ naturæ noxam repudias: ac sic te seriò tuis cum geris æqualibus, vt quæ ingenuam indolem, & honestatem non dedecent, duntaxat excipias. Præthereà iam grandiusculam ætatem simul, & politiores artes, quantum satis tunc eras, ac poteras, attingebas: cum maior altera difficultas exoritur: quòd à Patre tuo prudentissimo, & amplissimo viro, Caroli Regis addicendus obsequio, ad morum elegantiam, linguæque, & rerum peritiam comparandam, in Galliam mitteris. Nihilo melius, quàm tanto obediens parenti difficultatem absoluis: intimè palatium penetras; aulicam versas: nullum non moues lapidem, quo normam rudibus, & censuram veteranis te præbeas. Phidias eò sculptor egregius habebatur, quod quancumque materiam manus eius occupassent artifices, mirè effingere, serióque animare viderentur: non aliter tu vbique bonus, quia optimus, seu intrà, siue extrà palatium; aut ciuis, aut aduena: vel inter bonos, vel malos raram tuam indolem explicas, & excellis ingenio. Gratum Deo te geris: quod ei quantum potes, gratum Regi, quòd ipsi quantum licet, obsequeris. Tibimet displicentem, quin etiam diffidentem te exhibes; quòd *non ad famam tuam gestis exultas, sed vt minister ad auctorem, & Ducem Deum primò, deinde ad tuum Prin-*

Senec. epistol. 15.

PVERITIA.

ADOLESCENTIA.

MORES.

Tac. in Agric.

Principem referas : si quid aduersi contingat, id tibi, si quid prosperi Regis fortunæ paratus adscribere : laboris appetentem, quo *rerum difficultates amoliri* soles, *& gloriam impositæ summæ manus* eidem *relinquere*. *Iniurias ferendo, & grates agendo*, rarissimi non solum aulici, sed Christiani etiam militis patientiam exerces. Vt declines inuidiam, *diuersus à veterum instituto, subter cultum, & munditias propiores luxu vigorem animi ingentibus negotijs parem* abscondis, *eò acriorem, quo somnium, & inertiam ostentas*. Itaque administris maioribus gratiosus, & minoribus officiosus vtriusque beneuolentiam, fidemque concilias. Sales tui sine dente; sine cachinno risus: sine vilitate ioci: vox sine clamore: incessus sine tumultu; quies sine desidia: blandus sine assentatione: paucis nisi bonis familiaris; omnibus comis, & affabilis. His aulæ candidatos monitos velis, filumque porrigis, quo perplexas absoluant ambages, & inextricabiles labyrinthos euoluant. At altera ex parte censor acerrimus in peritos inueheris: dum palatij fundamenta perscrutans, muros inspiciens: culmen exuperans: omnia membra percurrens, singulaque intuens, cuncta niti, erigi, diuidique mendacio comperis: & meritò cum diuino Sapiente exclamas: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Principes purpura, sceptroque, & reuerentia spectabiles apparent: nec tamen deciperis, quòd sub omnium iugo, & incredibili seruitute tantam transire gloriam conspicis: non magis dominari, quàm seruire credis, quos vt omnibus imperent, inseruire omnibus oportet: omnium se se ad studia componere, & simulatio-

Aemil. prob. in Datam c.
Diodo lib. 49.
Senec. II. de ira.
Tacit. III. Annal.
Ecclesiast. I.

ne quadam in ſuos vti, nè ſaltem vana ſpe vacuos dimittant, TAM MINIMI verba dare, quàm facere
Salluſt.in Iugurt. penſitantes, Nec minùs *eorum voluntates, vt vehementes, ſic mobiles* obſeruas, *& ſibi ipſas ſæpe aduerſas,* quibus in clientium perniciem cùm Fortuna conſpirant. Ad hæc ſatis infirmam potentiam cognoſcis, quæ omnium ſemper dependet auxilio: inanem magnitudinem, quæ vel minimis in rebus conſiſtit, quas ſi indigenti ſubduxeris, aut negaueris, ipſa quoque in nihilum redigi videatur. Iam verò contubernales omnia effingere non ignoras; nuſquã fidem, nuſquàm veritatem diuerti: omnia adulationibus infeſtari, ambitione corripi, cupiditate fœdari. In ſalutandi ritibus, & vltrò, citroque ferendis obſequijs verba melle, & lacte manantia videris excipere, quæ contracta non alios rei ſuccos, quam odij, & liuoris abſyntinos exprimunt: vbique ſupplantationes, & laqueos: vbique *pericula, per quæ perueniitur ad grandius periculum*. Vides Principem inſtar numinis adorari, ſequique oportere, qui *ab eo extolli* velit *opibus*, & *honoribus*: vides verecundiam, & modeſtiam ſibi eſſe exuendam, & audaciam, contumaciamque induendam, qui cæteris anteferri contendit: eoſdem vides in oſtentationem, ſuique iactantiam euaneſcere; & *aduerſus inferiorem ſeueros ſe maximè, & arrogantes: erga ſuperiorem viliſſimos adulatores oſtendere; quos delectat ſuperbiæ ſuæ longum ſpectaculum: minusque ſe iudicant, poſſe, niſi diu multum q; ſingulis, quid poſſint, oſtendant: nihil confeſtim, nihil ſemel faciunt: iniuriæ eorum præcipites, beneficia lenta ſunt.* Vides hìc *inſidiatores, & hoſtes: qui ſecretis crimi-*

Reg. 4. cap. 9.
Eſth. c. III.
D. Auguſt. 8. confeſſ. c. 6.
Tacit. I. Ann.
Senec. de tranquill.
Senec. II. de benef. cap 5.
Tacit. I. hiſt.

 30

criminatoribus infamant ignarum, & quo decipiare, palàm laudatum. Vides eorum instabilem, lubricamque fortunam, qui postquàm Sisipho non absimiles saxum subuehentes humeris, vias hausere difficiles, dum honoris in fastigio quiescere, & respirare, quòd inuidorum euasissent manus, existimant, sua tandem se mole præcipitant. Vides hæc omnia, ac deteriora peste ipsa iudicas: ETENIM contagia animorum, eò magis periculosa sunt, quò citiùs, quam corporũ contrahũtur. Cùm ergò nulla potior medicina sit, quæ ab eiusmodi labe mortales præseruet, quàm fuga; diutiùs hìc manere non cogitas, regionem mutare constituis. Itaque parenti, cuius abundè studium, mentemque superas, persuades, licere tibi in omnium virtutum, & scientiarum nutricem Luteciam Parisiorum recedere: eoq; adolescentiæ florem, quem à liuoris aculeo, flatuque superbiæ, & luxus vermiculo non saucium, non excussum, non marcentem, sed integrum, & amœnum extulisti, tanquàm in riguos sapientiæ hortos transferre: Regem pro Magistro, Palatinos pro scholaribus, palatium pro academia, curiam pro Licæo, trabeam pro abolla, equestrem pompam pro pedestri simplicitate commutas: perniciosa negotia pro otio salutari, cælum nubilum, & intemperans pro clementi, & sereno relinquis. Hanc sedem, quasi felicem patriam, veramque quietem ample cteris; vbi aduersarij non detrahunt; inuidi non offendunt: certationes non feriunt: clamores non turbant: sed omnia ad mentis sananda vulnera, ignorantiamque dissipandam conducunt: vbi ostenta-

tio

tio cognitionem, æmulatio profectum, periculum, laudem, varietas voluptatem, viciſſitudo permanentiam parit: vbi merita iuſta conflantur: Rerumpublicarum fundamenta iaciuntur, & virtutum ſeminaria in totum diffundenda orbem ſeruantur: vbi ardet charitas: fides elucet: pax eminet: concordia exuberat: veritas emergit, quæ cæleſti *vultu* errorúm *tenebras*, dubitationumque *tempeſtates ſerenat*: vbi fortuna eluditur: natura perficitur, virtus ſuo pretio æſtimatur. Hic viros in toto orbe celeberrimos occupas, ſub quorum diſciplina multiplicem rerum cognitionem, & vniuerſam ſcientiarum lucem conſequeris. Latinas literas ad ſermonis facilitatem, ſtyliqúe elegantiam recolis, eiſque ad maiorem eruditionem Græcas adiungis. Rhetoricas inſtitutiones impenſiùs renouas: varia dicendi genera contemplaris. Catonis grauitatem expendis: Demoſthenis vim exprimis: Iſocratis ſuauitatem deguſtas: Platonis affluentiam exhauris: ac tandem Ciceronem, in quo omnia eminere vides, compilas, eiuſque orationum diuitias commentarijs exponis, & illuſtras: Hermogenis ſpecularis idæas ex Græco per te fonte transfuſas in Latium: Dionyſium Halicarnaſium de verborum collocatione librum quoque Atticum, Romanum facis, & cæteros, quos per te, vel per alios tuo munere, & impenſis traductos accipimus. Quid plura? quantum in hac arte proficias, tuæ ad Henricum Regis Galliarum fratrem Regem Poloniæ deſignatum, & ad Stephanum Battoreum, ſubinde Regem, tùm verò Tranſiluaniæ Principem, & ad Annam Auguſtam legationes,

Virg. 1. Aen.

LITERÆ ET STVDIA.

tiones rei ipſius teſtantur euentu : teſtantur quam multæ luculentiſſimæ, grauiſſimæque orationes, quarum illa celebris in multorum memoria, omniumque manibus, & ſermone verſatur, qua Patauij Gabrielem Fallopium Mutinēſem, anatomicum ibidem profeſſorem eius in funere impubes laudaſti: teſtantur plenæ pietatis, & religionis epiſtolæ, quas ad Gregoriumdecimumtertium, & Clementem octauum ſummos, & optimos Chriſtiani orbis Principes, & alios de rebus Polonicis, & Moſchouiticis ſcribebas: teſtantur exhortationes, & alloquia, quibus belli tuos ad prælia ineunda milites, domique populares ad patria integrè ſeruanda iura excitabas. Præterea qui ob patritium, fidumque ſanguinem neceſſariò futurus tuis eſſes neceſſarius ad excolendam, & confirmandam prudentiam, Ariſtotelem diſputas in politicis: in legibus Platonem diſcutis, in Republica perlegis, in alijsque mente, & animo peregrinaris, vt certam tuæ formam præſcribas: Ieſum ſyrachidem conſulis, ex quo vt Baſilius imperator *ciuiles*, quas excolas, *&* *regias virtutes*, quas moneas, *colligis*, *atque hauris*, Cap. vlt. Cyrum Xenophontis non minori ſtudio, quam Scipio viſitas. Viros, qui adſunt, doctiſſimos adhibes, eorumque iudicia cum veterum monumentis componis; atque ea omninò præſtanda iudicas, quæ pietatem, fidemque Chriſtianam redolere conſideras. His diuina exempla, & oracula ſapientium, & heroum dictis, geſtiſque applicas, quæ paſſim apud magni, vel obſcuri etiam nominis ſcriptores, eorum in libris, aut annalibus tanquàm ſtellæ in vir-

tutis cælo refulgent. Quarè Thucydidis breuitas non obſcurat: nec affectata Salluſtij recondit antiquitas: nec Polybij Taciti que ſententiæ retardant: non Curtij nitor perſtringit aciem, Liuijvè fœcunditas obruit, quominùs mirè lectitando proficias: Ex his enim, & alijs noua retegis: antiqua renouas: pericula præcaues: ſtratagemata recludis: mortalium perpendis ingenia: tempora, loca, mores obſeruas: euentus varios explicas: peritiam comparas: diuitem facis memoriam: mentem recreas: ſtudia accendis: virtutem acuis; & non aliter maiora, nedùm paria æmularis, ac concipis, quàm Cæſar cùm Alexandrum, & Selymus Thurcarum Rex, cùm ipſum Cæſarem, & Carolus quintus cum Ludouicum vndecimum Galliarum Regem in hiſtorijs comprehendens, accenſus fuiſſe dicitur. Subinde militaria peruoluis, quibus bonum te militem, & alios inſtituas. Arma non ad imperij gloriam, nec ad furorem vindictæ neceſſaria, (quæ ideò in primo Aſſyriorum Rege Nino, & Alexandro Macedone, Cn. Pompeo, ac Cæſare deteſtaris) ſed ad repellendas iniurias, tuendumque principatum ſuſcipi debere confirmas. PACEM frequens, & commune pabulum Reipublicæ eſſe iudicas: bellum tanquàm amaram potionem ægrotanti ad ſalutem adhibendum: quò vt ad vltimum rebus in afflictis remedium confugiendum. Multa *de exercitu, de caſtris, de agminibus, de ſignorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus de euitandis*, vel intercipiendis *inſidijs* accipis, animoque defigis. Nec verò tibi vnquàm illud Annibalis in Phormionem philoſophum de

Ioan. Bodin.

Plato 5. de Republ. Beroſ. 5. Iuſtin. 1. Senec. epiſtol. 94.

Cic. 2. de Ora.

Ibidem.

armis

armis disputantem dicterium potest incidere, qui armorum lectionem, studiumque à mente ad pectus, *ab oculis ad manus, à voluptate ad laborem* sæpissimè *transfers*. Tuis ergò *exercitationibus* non *Graculus magister: sed aliquis, cui decus muralis, aut ciuica, veteranus assistit*. Ex quo eleganter equo vehi, strenuè saltare, scitè circumagi, peritè cursitare perdiscas: quicùm securè vibrare, decoreque hastas flectere, pedibus sarissas tractare, manualia tormenta displodere, scuto tegi; ferire gladio, vi vim repellere exerceas. *Quam magnum est ex omnibus patrio more, patria virtute lætari, & sine æmulo, ac sine exemplo secum certare, secum contendere*. Quemadmodum generosi hinnuli, qui nè armis acceptis à natura languescant, sed alacriores, & acriores reddantur rostra, aut vngues, dentes, aut cornua ad stipitem moliri solent: sic tu generosa indole impulsus præludis ad vera, ludicra moues ad seria; quin potiùs vero, serioque animo, quasi tunc *libertatem, patriam, parentesq. armis tegas*; aut ea *pro fide, aut salute sociorum* suscipias. His studijs terribilem omnium terribiliũ mortem mansuefacis, manuque ducis; & decoram tibi ante oculos proponis inuitans, artus, sensusque illi non parcere. Vt autem vero te hoc metu liberes; atque inanem, vanumque superes, Physica satiùs, quam sat erat, amplecteris: principia, causas, vicissitudines rerum, & interitus agitas; mentemque attollis in mentem illam omnium conditricem, immobilem, nullis circumscriptam terminis, DEVM OPTIMVM MAXIMVM: vnde felici lapsu in te ipsum corruens, & insinuans, humanæ naturæ con-

Plin. in Paneg.

Idem ibidem.

Sall. Catil. *Cic. III. de Repub.*

ditionem, cladem, & miſerias, ac mortem conſideras, quam improbi vt pœnam, & æterni ſibi cruciatus initium exhorreſcunt: boni verò, quibus in hoc breui vitæ curriculo beatitudinem inchoare ſolent, quaſi præmium oſculantur. Atqui nè tandem terrearis inaniter, atque vbi noneſt timor, timore nè trepides: eundem qui *ex rebus aereis, aut ætheréis, ignorantibus earum cauſas* incutitur, per metereologiam propulſas. Iam verò ad Geographica non voluptatis, ſed terrarum, marium, fluminum, portuum cognitionis ergò progrederis, qua inſtructus eorum, quæ in conſilijs explices, & expeditionibus, aut etiã, cùm oportebit, in legationibus obeas, ſitus, magnitudines, interualla, munitiones intelligis. Inde ad Aſtronomica, & Geometrica ſubinde te confers, vt his tempora anni noſcas, & tempeſtates; loca illa aggreſſurus opportunè præſagias, in quibus caſtrametari, oppida munire, propugnacula ſtruere, tormenta dirigere calleas. Nec tandem Architectonica ſpernis, quibus Deo, ac Cælitibus templa ponere, arces moliri, academias ædificare, oppida à fundamentis exſtruere valeas. Hæc ſi ad philoſophandum duntaxat didiceris, argumento ſunt, quæ in noua tua præſtas ZAMOSCIA, vbi mirabili ſũptu, & labore ædem extrà Dorico, intrà verò opere corinthio condi iubes, quam & Dignitatum, & Canonicorum collegio decoras, Coſmi illius Medices magni Ducis Hetruriæ piam re confirmans ſententiam. *Quod Eccleſiæ operi pecuniarum impendimus, id totum extra petulantiam, ludumque fortuna nobis in lucrum concedit*. Vbi tutiſſimum, firmiſſimumque

propu-

Plut. in Peri.

Polyb. 9.

Auguſt. vent. in paneg. ad Franc. Ferrer. Card.

propugnaculum ab hostium excursione constituis: vbi (quòd tuo satis genio, ingenioque facias.) Academiam omni literarum studio, multoque prædiorum censu diuitem creas, & excitas; vnde iuuentutem ad cælestium cultum, & obsequium, vel ad patrias functiones omni æuo suppedites, non ignorans, *quantiscunque sumptibus constet, lucrum esse, pietatis nomine sumptus facere*. Tertull. Apol. cap. 39. Prætereo quæ de tuis studijs, & lucubrationibus varijs, vel in Athenæis, vel in amicorum frequentia ad acuenda ingenia recitas, declamas, disputas: quibus Lambinos, Carpentarios, & Sigonios tuos imitari contendis. Non memoro, quæ in Doctorum cætu ad lauream obtinendam, sæpè, diuque subire soles pericula; qui suffragijs, & insuper laudibus summum tibi ius ad maiora in scientiarum genere ornamenta constituunt. De his hactenus: nec enim diutiùs cunctari possum Patauij interpellatus clamoribus, qui me ad alias tui commendationes vocant, & prouocant. Venis Patauium vetus, notumque tui similium, & æqualium Polonorum hospitium, immò seminarium: & tanta cùm lætitia ab vniuersis exciperis, quanto cùm mœrore omnium, & lacrymis Lutetiam relinquis. Hìc maiores natu spectatores tui facis; ac tuos amore sapientiæ, studioque riuales exuperas. Hìc iuri Pontificio, & Cæsareo mentem, animumque applicas, ardentem das operam: iam vtriusque sanctiones, ac leges ingeniosè congeris: memoriter recitas: prudenter expendis: argutè dißeris: verè, & ingenuè interpretaris: & post multas laboris, ingenijque ostentationes, Doctorum (nemine discrepante)

pante) conſenſu, quin potiùs applauſu, & admiratione ipſorum conſortio iungeris, & ornamentis afficeris. Eià nunc age macte animo, macte ingenio, macte ſtudio adoleſcens, eia flos adoleſcentium præcocem dature fructum, florentes Palladis amplexus iam deſere, & eiuſdem armatos amplectere: Ad magiſtratus, ad dignitates accingere; accommoda, ſubmitte humeros: iam te enim expectant onera: iam regni Regi fulciendi tuo pondus incumbit. Ecce appetit virilis ætas, tibi nomen, & annorum maturitatem ſuppeditans, non animi, non mentis, aut conſilij, quæ præmiſerat. Cæterùm tenet etiamnùm te Pallas, non dimittit, tuam prælibare prudentiam ſtudet: & quem in pace Catonem cognòſcit, ac Scipionem fore in bello præſagit, ſuis te togatis militibus Rectorem conciliat, antequàm ductor mitteris ad alios. Cùm tot animis, cùm tot ingenijs pugnaturus accedis, bellum adeò difficile geſturus cùm moribus ades, vnus omnibus te inſers in aciem: atque ijs armis, quibus adoleſcens commilitones tuos ad æmulationem excitaueras; ad pudicitiam, & honeſtatem reduxeras: ſuperiores ad laudem, & admirationem rapueras, ſubditam iuuentutem generosè domas; ſuauiter coerces; beatèque moderaris. Plerumque enim rem præſtas exemplo; dum ſeuerum tui te antè cenſorem, ac criticum, quàm aliorum oſtendis. VITAE CANDOR occupat, quæ virgæ ſeueritas non attingit. Itaque tua priuatis in ædibus, & in aula diſputantium ſemper vrgente præſentia eorum aſſiduitatem moliris, diligentiam excitas: grauitate modeſtiam doces, ſilentium

VIRILITAS.

tium imperas: religione Dei obsequium, parentumque, & maiorum obseruantiam inculcas: continentia puritatem, labore studium, solertia vigilantiam inuehis. Per te pudor exultat: concordia pullulat: blanditur humanitas; partes suas lenitas agit: sapientia dominatur. O beata tempora, ò non mortalium modo, sed quasi cælestium mores. Satis, & abundè foret, his eam semper continere Rempubl. nisi iam adspirares ad tuam, quò cætera melioris æui conferre desideras. Pro tua ergò singulari prudentia eandem normam, quam ex officio proponis, & exemplo facis amplecti, antiqua pro re, & tempore abrogata, & laxiore constricta, posteris intuendam, & obseruandam relinquis. Atque vt generosos animos ad maiora pro virtute, & scientia subeunda, prouoces, hanc tuam celebrem Academiam honoribus cumulas, & priuilegijs amplificas. Iam satis Academiæ, iam satis literis feceras: cùm honestis stimulis acriùs incitatus in Patriam, moræ impatiens, profectionem adornabas: Intereà omnium te Mecœnatem, te Patrem compellantium amplexibus, lacrymisque diuulsus postliminiò in Poloniam redis. Tùm verò quasi vnà in te virtus, & fortuna conuenissent, reditumque ad dignitates, honoresque expectassent, summam à Rege Sigismundo Augusto gratiam inire te faciunt, qui tui iam fama præuentus, nec tui menti, sed mentis auctoritate permotus Regni chartophylacio, quod compleres, & absolueres, præesse te voluit: ea tenùs nemine inuento, qui talem posset sustinere prouinciam. Has tantæ gloriæ primitias tuis vel maximis, & vltimis

HONORES.

orna-

ornamentis oportet, annumeres: quòd eas non postulantibus amicis, non patria quærente, non maiorum imaginibus, non diuitiarum copia, non populari gratia, ſed tantùm tua virtute, & meritis habuiſti. Non cunctanter id munus ſuſcipis: (*nec enim recuſandi ſunt honores, qui honeſtis artibus comparantur*) paratus vel viliſſimum, quoduis aliud obire pro patria. Cura tibi imminet omnium priuilegiorum, iuriumque, & fœderum quouis tempore cùm Principibus finitimis initorum collectio. Ea verò tanquàm Sybillina folia diſperſa colligis, ſeparata coniugis, obſoleta ab obliuione, ſituque vendicas, & tandem ſic ad vnum componis, ac digeris, vt deinceps, vel leuiter inquirenti præſtò ſui ſe prodant indicio. Pèr te Reges, qui erunt, magnitudinem ſuam, opes, & potentiam explorant: per te Principes ſua norunt officia; per te Proceres immunitates, & honores ſibi debitos intuentur: per te omne regnum Poloniæ de ſua iam gloria, & amplitudine certiùs, magnam eius partem tibi refert acceptam. Sicut arbor, quæ in proprio, ac natali ſolo altiſſimè radices egit, cæloque ſemper propitio feliciter creuit, non ſolùm in fructus patrios, ſed alienos, quos nempè ex inſitione ſuſcepit, abſolutè, & abundanter exuberat: ſic equidem mirari non debeo, ſi tua virtus in patria maiorum benemerentium defixa principijs, vi pietatis erumpat, & eo benigno cælo tam mirè pullulet, & coaleſcat, vt ſuos, & aſſumptos partus exactè, & copiosè producat. Tua ſunt ZAMOSCI, quæ à maioribus accepiſti: nobilitas generis, oris dignitas, corporis habitudo ſpectabilis,

Ioan. Pic. in Heptaplo.

apta

apta membrorum ſeries, robur, magnitudo animi, honeſta indoles,& ingenium ad laudem ſemper adſpirans, & cætera, quæ ad naturam ſpectant: ea verò, quæ ex literis, & virtute aſſiduo labore quæſijſti, aduentitia, inſita, aliena ſunt. Aſt omnia calore charitatis in patriam tua facis; & nihilo magis naturæ, quam literis, & virtuti reſpondes. Itaque in omnibus æquè, ac in ſingulis antecellis. Ex te ergò Polonia pacis, ex te belli fructus carpere non deſiſtit, tu nunquam carpentem deficis, nunquam eludis, immò eos in dies ſuauiores, & ſalubriores multiplicas. Fidem, prudentiam, induſtriam, & humanitatem in legationibus exquirit; eaque ex votis inuenit, te ex auctoritate omnium Ordinum cum duodecim viris primarijs mittens in Galliam, qui eius Regis fratrem Henricum iam Regem ſibi acclamatum ſuo nomine ſalutares, nouumque accires ad regnum. Polonus collega, & legatus egrederis, & in Galliam Romanus ingrederis: Romana enim, atque adeò Ciceronis lingua orationem non ſemel recitas. At verò, quo tunc eloquio, quo affectu, quo pondere, quo cultu, & lepore egeris, id acta probant: quòd deinde Rex ſuo te nunquam latere deceſſiſſe voluerit, te vnum ſibi tenere cupiens; non vt Agamemnon decē Neſtores Neſtori ſimiles, nec quemadmodum Darius acinis mali punici æqualem ſuum numero Zopyrum exoptabat, contentum te vno fore ſignificans, quo ob perpetuam, & ardentem in Deum, Regnumque pietatem, facilè ſuos omnes ad æmulationem accendi poſſe conſideret. Nō ergò dubium, quin,ſi pia in regnum aſſumptio, *Iliad. 2.* *Iuſtin. 3.*

& omnium fidelis acclamatio non præcepisset Henricum, satis apud illum, nè cunctaretur, tua valeret auctoritas, & oratio. Cæterùm postquam ipse Henricus renuntiato fratris obitu, iure successionis, & vi maioris pietatis auulsus, & subductus regnum regno mutauit, re ad interregnū redacta, Stephano Battoreo Principe Trāsyluaniæ digno, qui regnaret, & qui Annam Sigismundi prædefuncti sororem in matrimonium duceret, proposito, à sex Palatinatibus, penes quos sicut, & alios patrio more tunc omnis potestas est, summa huius legationis auctoritas, tibi, quod summæ auctoritatis esses, committitur. Vtrumque conuenisti: perorasti: dixisti: suasisti: & Legatum simul agens, ac pronubum, Regem dedisti Poloniæ, Regique nuptias. Integrè partes publicas egeras; nec tamen acquiescere potuisti, donec priuatas boni Ciuis cum illo ageres. Stephanum ergò ipsum iam Regem creatum, adhuc in Transyluania commorantem, rationem, qua regni Poloniæ possessionem adiret, & id rectè, sanctèque administraret, per literas doces: sed animo iuuandi dumtaxat, non ambiendi, nec ostentandi nomen tuum alioquin amabile supprimis: mentionem de te nullam ingeris: tantæ religionis, & humanitatis sine indice præstas officium, testimonium sine teste publicas, præconium sine voce mittis: tandemque vt iactum gloriosissimum facias, manum abscondis. Ecce enim salutari tui styli iaculo sensit se Rex vulnerari: sed vnde, quo modo, & auctore iactetur, ignarus tot ibi sententias legit, tot monitiones excipit, quot audire credit oracula:

qui

qui intereà Deum regnandi ſapientiam aſſiduis Salomonis precibus poſtulabat. Cuiuſmodi illa ſint, adhuc cælari, non æquum eſt: ſuggere ergò nobis magne ZAMOSCI, ſuggere: præi verba, quæ alijs ſunt Regibus, alijs mittenda Principibus. Ah mirum, quo Regem artificio tuæ literæ occupent: gratularis humaniter, prudenterque ominaris: lætaris ſimul, & condoles: laudas, & commones: terres, ac excitas: pericula indicas, euentus indigitas: & adiungis, quibus fruſtrari, vel præcipi poſſint, remedia. Gratularis de regno, quod cæleſtis Imperatoris auſpicio, ac de Republica benemerentium ſtudio, virtutumque ſuarum laude obtinuit: eandemq; gratulationem in Senatum, Ordinemq; equeſtrem recidiſſe, ſignificas, qui talem coronam (Stephani ipſius nomine adumbratam) quaſi perpetuas ſibi laureas laturam aſciuerint. Deinde verò regium pondus longè grauius, quam vt mortales ſuis viribus, niſi ſubleuentur à Deo, ſuſtinere poſſint, expendis: idque Saulem Regem diuinitùs nuper inunctum à Samuele, armo in epulis, atque à Menelao Telemachum in filiarum nuptijs dorſo bouis appoſito graphicè, & argutè præmonitos. Iure ergò Antoninum Imperatorem, & philoſophum præſtantiſsimum, & Ludouicum ſecundum Galliarum Regem ſub hac humeris incumbente mole, non ſuccumbentes gemuiſſe ſæpiſſimè. Non mirum, ſi propterea Tiberius Imperator id immanem videre belluam videretur; & ſummus Pontifex Adrianus tãquam hoſtem ſibi infeſtiſſimum abhorreret; Rex Aſiæ Antigonus malorum Iliadem ſub eodem

Reg. 1. c. 13.
Odyſſ. 19.
Capitolin. in Anton.
Aemil. in prolog.
Policrat. apud Vens. in panegyr.

latere diceret. Imperare ergò vt quid cælestis, & diuini contineat, durum tamen & intolerabile fore iugum, nisi Dei miserantis auxilio, bonorumque clientum lentescat, & mitigetur obsequio. Itaque summo illi Principi Deo primò, ac præcipuè regiam potestatem ferat acceptam. Saulem, & Dauidem in regnum vocatos: at illum miserum, hunc autem gloriosum euasisse: quod ille diuina præcepta contempserit, hic expleuerit. Ideò vocationem suam rebus pro Deo, ac regno honestè, pièque gestis confirmet. Cor suum, vt cæterorum Regum in manu Dei esse meminerit; nè id diuitiarum pondere subtrahi, nec imperij gloria euanescere, nec effluere delitiarum luxu patiatur. Eundem Deum æquissimum arbitrum, & inspectorem operum, consiliorum, mentium, eundem iudicem, & vindicem præsentem sibi ad sapientiam, & timorem concipiat; à quo & consilium, & auxilium petat, & omnia quæ egerit, ad ipsius gloriam, & populi sibi commissi salutem, & vtilitatem collineet. Præ omnibus alijs cogitationibus eas maximè agitet, quæ sui muneris sunt propriæ; nempè qua ratione Christianam religionem, & bonos mores propagare, iustitiæ cursum dirigere, & promouere, Imperij fines tutari, & publicos sine iniuria census augere valeat. Ad quæ omnia, & singula cum Senatu, & equestri Ordine crebras consultationes inire soleat: & ex optimo principe Traiano, suisque præcessoribus discat, Patres reuereri conscriptos, quorũ non minor Romanis fuit olim, quam nunc Polonis authoritas: ab ipsis, vel ab omnibus de ijs, quæ publici sunt boni,
liben-

libenter se admoneri patiatur: suis igitur, vt Lacedæmon Ephoros audiat, neque veluti, Sinarum Rex magistratus, quos extraordinarios vocant, habere pœniteat; atque adeò vt tanquam Rex Antiochus, idemque Antigonus, quæ de se vulgò iactentur, exploret; benèque audiens eo die purpura vestiri se dignè existimet. Enimuerò coloris huius suauitatem, ac pretium non tam ex conchiliorum, quã illustrium Polonorum sanguine, qui tale ei pepere-re, & auxere regnum, fieri, & rutilare consideret: nec minùs eam esse potentiæ, quam erga suos amoris insigne, quod quoties induit, benignitatem, & indulgentiam induere in ciues intelligat, quam Lacedæmoniorum Rex Atecicles similem paternæ fore præceperat, & disertius Simonides apud Xenophontem docuerat, *vt Princeps existimet, ciuitatem suam propriam esse domum, ciues propinquos, amicos autem filios, filios velut animam propriam, & hos omnes obligare nitatur officio:* tandem vt paucis expedias, patrem patriæ se gerat, vt *sciat datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos reponens.* AMET ergò vt ametur, & pater esse velit, vt filios habere cognoscat. Prætereà pericula, quibus eiusmodi pietatis vincula abrumpi, vel laxari solent, exponis, præcaues, anteuertis: eaquè in censura, tributisque, & supplicijs, tanquam insidiantes feras in latibulis iacere consideras: hòc magis timenda, quò faciliùs tria hæc adeò Reipublicæ necessaria consequantur. Rationem ergò, qua horum temperetur acerbitas, & amaritudo dulcescat, idemque perseueret amor in subditis, prudenter

Trigaut. è Societ. de exped. Sin.

Xenoph. in Cyro.

Senec. 1. de Clem.

Sen. 1. de Cl.

denter

denter, & ingeniosè retegis. Ad cenſuram mores, legesq́ue pertinere oſtendis; monesq́ue, vt his ferendis bonum ſe latorem, ſeuerumq́ue cuſtodem, illis corrigendis caſtigatum ſe vindicem, & cenſorē præmittat. In hoc publico horologio ſtylū ſe eſſe reputet, *in quē dirigimur, et cōuertimur:* qui ſi obliquus, obliquas ducit vmbras, & obliquè horas indigitat, populi vndè confuſio: contra verò ſi rectus exiſtat, eiuſdē moderatio, ac regula. *quid eſt, quod nos prædicat,* Theodoricus Gothorū Rex inquit, *quā quietus populus, cōcors Senatus, totaq́ Reſp. morū noſtrorū honeſtate ueſtita?* iudicijs tollat ambages; munera à tribunalibus arceat: neq; vllo modo inferiores à potētioribus vexari permittat. In cenſibus, & tributis doces, odij extinguendam fore ſcintillam, ſi in imponendis, atque exigendis neceſſitas, modus, & honeſtas appareat. In ſupplicijs maleuolentiæ peſtem facilè euaſurum affirmas, ſi tardè ad ea veniat: nè plus libidinis, quam rationis oſtendat. *Propè* enim *eſt, vt libenter damnet qui citò:* neu ſic irati, & vindicantis ſpeciem præbeat. Quod ſi interdum eiuſmodi vindictam concipiat, parturiens dolorem impotentis iræ compeſcat, Athenodori ſententia monentis Auguſtum, nè illam iratus incuteret, vel ore proferret, quin prius Græcarum literarum alphabetum ſecum ex ordine recitaſſet: quam & poſteà Theodoſius ſequendam propoſuit, & ex Chriſtiana pietate ad trigeſimum vſque diem pœnas extraxit; legeq́ue ſanciuit, vt Principum de animaduerſione ſententiæ citra modum, normamq́ue iuris prolatæ intra menſem quieſcerent, quo reis, vel miſericordiæ, vel pœniten-

Guev. in horol. princ.
Plin. in Panegyr.
Caſſiodor. epl. 21.
Senec. de Cle.
Arl. 5. Polit.

nitcn-

nitentiæ locum concederet: deinde hoc odium mollire nouerit publicæ vtilitatis officio: *omnis* enim *animaduerſio debet non ad eius qui punit aliquem, ſed ad Reip. vtilitatem referre:* prætereà miſerationis adhibenda temperies: & ex animo, veriusque, quam Nero *oculos* puniendo *ſubtrahat, iubeatque* * *ſcelera non ſpectet:* non minus & moderationis; *non quantum admiſit reus, tantum vindicandum:* ea propter Cn. Pompeij feritatem abhorreat, qui *fuit grauior remedijs, quam delicta erant.* Et cũ Germanico ſentiat, *pœnam medicinæ more, non cladis* irrogandam: poſtremò vt ſecum pariter de Polonis glorietur, quod de ſuis Cicero, Liuiusque iactabat: *nulli gentium, quam Romanorum mitiores placuiſſe pœnas.* Ad hæc, multa de pace, multa de bello præcipis, quæ hìc verbis explicare non debeo, commodiùs oſtenſurus, vbi ea cum cæteris rectiſſimè te gerentem inducam. Sub finem animaduertis, eundem vngendum, & inaugurandum ad hæc omnia fidem ſuam ſacramento vincturum; atque in diademate, ſceptro, pomo aureo, &* parazonio regijs accipiendis patrio more inſignibus teſtaturum. Quæ omnia Deo duce, eius genio, regniſque cuſtode ſanctiſſimo, & patronis cæleſtibus dicto meliùs facturum confidis. Intendat proſperè, procedat, & regnet, de ſubditis nequaquam ambiguus pro ſe æque, atque pro aris, focisque fortunas, & vitam cum ſanguine effundere paratiſſimis. Arcana hæc nouo Regi monita ſuggerebas, quæ ille in rerum pia adminiſtratione palam fecit, & in omnium oculos, atque ora ſubiecit; ac te, quem ſui monitorem, magiſtrumque à Deo

acce-

Cic. 2. de offic.

* *Supplicia.*

Tacit. Agr.

Sen. 1. & 2. de Clem.

Tacit. an.

Cic. 3. Offic. & orat. pro Rut.

Liu. lib. 1.

* *Vulgo, ſtocco.*

Dion. in Traian.

Alex. Vagn. in deſcr. Sarmat. Europæ, fol. 53.

Pſal.

acceperat, eiusdem auspicio, & impulsu ob rerum Polonicarũ peritiam Regni totius iuris Vicarium, deinde maximum Præfectum constituit: Cancellariam secundam à regia potestatem tibi conferre non dubitat. Iam custos legum, & iudiciorum, & consiliorum omnium cognitor, & moderator existis. Hoc sanè Rex ad se traxit hospitio, vt tanquam Athlas fortissimus te Hercule vteretur, quo onus poli sui, nempè Poloniæ magna sibi ex parte subleuaret. Tu verò amplissimam hanc, & grauissimam suscepisti prouinciam: lateri Regis hærere non renuisti, in quem tui lumina consilij, & virtutis expromeres: quem tuo venerabilem obsequio, officiò amabilem, gestis potentem, victorijs felicem ostenderes. Sigillum habes in manu, * *apossphragisma* totius regni, quo acta, dataque communias, quæ & agi, darique consilio comprobaueras. Nihil eo maius ad dignitatem, nihil magnificentius ad gloriam, nihil tibi opportunius ad moderationem animi tui, & æquitatem, nihil vtilius ad Reipublicæ tutelam, salutemque posset accidere. Eo namque viri boni, & ingenui merita sua non frustrari, nec imminui sentiunt, qui te æstimatorem vident æquissimum: eo nefarij, reique supplicia sibi festinare, & imminere non dubitant, qui integerrimum te iudicem metuunt; eo pupillos ab iniuria, pauperes ab insolentia protegis; eo gratiam merenti, & imploranti iustitiam impertiris: eo populum ab exactionibus liberas: eo nobili priuilegia, & immunitates confirmas; eo denique formam Reipublicæ salutarem cõstituis, dum ea authoritate nouas basilicas extruis,

* *Calaturã sigilli forma expressam. Plin. epist. ad Traian.*

noua

noua erigis tribunalia, quibus causæ tanquam ad sua genera, & principia reuocas: iudicia discernis: litibus compendium, controuersijs modum, negotijs facilitatem, legibus ipsis decorum, existimationemque confers: quibus vt nihil fuit Reipublicæ optabilius, ita nihil est hodie salutarius, & iucundius. Eadem auctoritate vectigalia regni non sordidè, sed honestè auges, *tributa, quæ ad ornamenta pacis sunt, & subsidia belli necessaria* amplificas. Quid autem tuam commendat prudentiam, fidem, & liberalitatem, quam eiusmodi sigillum, sub quo consilia arcana, & * *psephismata* cælantissimè custodis, quæ vel togatus, vel paludatus tuorum ad ciuium gloriam, & salutem, ad hostiumque terrorem, & exitium cælestia tanquam fulgura proferas? Quando, quando hæc tua in orbe fulgura visa sunt, nisi cum primus aduersus erumpentes è ciuitate Gedanensi prodijsti, & vltimus è prælio excessisti, Alexandro, & Annibali eo animo, studioque nunquam inferior, sed superior semper consilio? Quamobrem Rex in te excelsum, ac imperatorium videt ingenium, & peritiam, vsumque rei militaris obseruat, & quam ex te Polonia gloriam cōsequutura sit, animo voluit. Iamque ergò honores, qui te decent, illique conueniunt, conijcit. Ad hæc tamen (quæ tanta est inuicti Regis prudentia) plura, & maiora tui pericula videre cupit, quibus argumentis te dignum militari ducat imperio. Itaque talis tecum ipse, qualis cum Hercule Euristhæus, se gerit; sed in veriores, magisque arduas expeditiones te mittit, vbi non cum Gerione, non cum Harpiys, non cum Diomedis equis

Cicer. pro leg. Manil.

* *Decreta. Cic. pro Flac. & Plinius ad Traianum.*

agendum; ſed cum intolerabili gelu, cum flammis, ſulphure, plũboque per aures ſtridentibus, cum Moſchis tandẽ dimicandũ, qui ſemianimes, extremoq; ſpiritu laborantes dedendi ſe anxij perſeuerant; qui mortem nil penſi habent, ſocijsque combuſtis, & in fruſta conciſis eòdem ſuccedere pugnaturi non dubitant, qui ſic artus, & membra niuibus, geluque durant, vt ſummũ cæli illius rigorem ſuperare videantur; qui adeò inediam patiuntur, vt ſæpè trium dierũ ieiunia puſillo aquæ auenaceę farinæ commixto acetum ſapiente pro potu, ciboque ſoluere conſueſcant.

Pagni. in deſcript. Moſchouia cap. 3.

Et Poſſeu. ad Greg XIII. de reb. Moſchou. fol. 15.

Rex ergò Velikilucum iturus, vbi aperto Marte magnum Moſchorum ducem excipiat, ne quid à tergo infeſti relinquatur, te ad Veliſam arcem hoſtiũ præſidio, genioque loci munitiſſimam expugnandam cum ſeptem millibus equitum peditumq; præmittit. Quam breui, & maturè ſtudium, moramque Regis in via quatriduo non amplius, glorioſum de te hunc exitũ, expectantis præoccupas, non *agendi (quod maximi momenti eſt ad res gerendas) tẽpora conſultando conſumens*, ſed *in celeritate potius, & in audacia, quã in apparatu ſpẽ ponens*, magnis itineribus eò contẽdis: præſentia, vt fulgur emicas, & eodem tẽpore tuos in milites tonas imperio, & fulminas in hoſtes exitio. Superãda arx erat, vetuſto, & horrẽti luco inacceſſibilis: tu verò denſiſſimas, & robuſtiſſimas ex eo demolitus trabes, accedis, & ſuperas: ſuperãdus Duna fluuius, quo eadẽ inſuperabilis videbatur: tu ponte ripã vlteriorem iungis, & ſuperas: ſuperanda præſidia, tu multis in locis ducta foſſa, iacto aggere, tormentorum verbere, facularum crebra iactatione ſuperas, pene-

Tacit. 19. in Vitell.
Plut. in Alcib.
Appian. lib. 2.

tras,

tras, & in deditionẽ compellis: ſuperanda Regis de te expectatio, eã tu non nuntijs modo, & literis, ſed etiã ipſius oculato teſtimonio ſuperas, qui prę incredibili gaudio ſuis cũ familiaribus, vt tuæ quoq; virtutis ſpectatores, teſteſque forent, per eundẽ fluuiũ arcem viſurus excurrit: deniq; ſuperanda aliorũ tibi erat inuidia, ſuperãda ſuperbia nè ex facinoris tãti gloria ſubreperet, tu vtrũq; ſuperas, dum laudẽ, quam de ſe Cæſar euulgauerat *veni, vidi, vici*, in ore tui *Cæſaris* in te conuersã reperiẽs: veniſti, vidiſti, viciſti ò ZAMOSCI: tu contra alterius Cæſaris elogio tẽperans: *veni, Rex inuicte* (reſpondes) *vidi, ſed Dominus Deus vicit.* Boter. de Carolo Quinto.
Tum verò de Liuonia, atq; Moſchouia actũ ſibi eſſe exiſtimans Dux magnus Ioannes Baſiliades, immò baſiliſcus hominũ generi infeſtiſſimus cogitur venenum deponere, & perinde vt Dagonis ſimulacrum, truncæ ſibi forent ceruices, manuſque, ac pedes Regis Stephani pedibus ſupplex, ac tremebundus accidere. Nonnè hoc eius literæ ad Regem miſſæ ſignificant, quibus tyranuus iſte pacem, veniamque implorat, ac ſe omnia Regis ſecum ineunda fœdera, & quid amplius accepturum promittit? Regis laborem eſſe, quid de ſe optet explorare, ſua verò intereſſe magni oſtendit, omnia iuſſa eius capeſſere. Quorſum hęc tam ſubita conſternatio? vbi minæ, vbi iræ, & furores, quibus tua ſe iactabat audacia? Væ miſero, te auræ ZAMOSCII fulminis attigit: iam pauitas, iam ſupplicas, qui modo audacter, & inſolenter te geſſeras: iam ad tui miſerationem lacrymis moueres contendis, qui modo tuorum, & aliorum, quos immaniſſimè trucidabas, ſanguine eo minus ſatur, Alex. Vagu. de deſcr. Sarmat. Europ.

quo magis efferus, & implacabilis videbaris. Metuit scelestus, & iure metuit, dolet, cruciatur, nè velisa expugnata, ianuam in Liuoniã, suamq; Moschuam Polonis aperiat. Legatorum, & literarum nil præstat improbitas, quominus Rex Ducis potentiam, qua in Deum, cælitesque, & mortales abutitur, confringere absistat. Te ergò cum ijsdem copijs, quibus Velisenses euiceras, Tartarorumque Nogaicorum auxilijs ad arcem, Lucos, decem millium hominum præsidio instructam occupandam per vias difficiles, & iniquas proficisci iubet: quam & ei aliam finitimam nomine Zanoliciam, milite etiam, & natura tutissimam amisso tuorum nemine, paucis diebus in medio hyemalis frigoris, & horroris expugnas. Præterea tuis cum militibus, & atratis cohortibus, quos ad bellum mercede conduxeras, nec non & Hungarico peditatu ad expugnationem Velikiluki mitteris, arcis difficillimæ, quòd præter Louatum amnem, quo alluitur, fossa, & stagnis vniuersa circumdatur. Ad hæc Moschus aliarum cautus incendio, non in ligneis muris spem defensionis posuerat, sed in veteri trabum compagine, ex quibus muri constabant ab imo vsque ad summum gleba, & cespite obduxerant, tanta crassitudine, vt in superiore parte aggeris capacissimas corbes terra repletas statuerint. Tu tamen vt belli fulmen magis arduis incumbere, durioraque conterere solitus copias vado traducis: & à noctis initio perducta fossa, tantum operis ante lucem efficis, vt Sole orto coniunctas stagnis munitiones hostes conspiciant. Eo die, & nocte insequenti nunquam oculis,

nunquam

nunquam membris indulgens muralibus tormentis mœnia illa quatere, ardentesque tædas audaci iuuentutis manu pinnis admouere non desinis. Perterriti legati Regem conueniunt, pacem proclamant, inducias poscunt, Ducem de calamitate monent metu ex parte amittendæ Liuoniæ, & ea omninò non cedendi cupidine fluctuantem: re infecta redeunt, ac desperati nihilo minus, quam vitæ consulunt. Sic ergò saxa corripiunt, trabes conuellunt, caldam æstuantem per tubos effundunt, & omne genus telorum mouent, quibus tuos contundere, viuosque excoquere, & obruere conantur. At enim cum tormentorum vi muro cohærens agger labefactari non posset, quinto tandem die, cum supposito fundamentis puluere dissipas, & incendio turres, ac tabulata consumis. Deinde ad Zauolotiam expugnandam missus eam latis vndique, altisque paludibus interclusam ponte mobili, natabilique ex trabibus more ratis extructo artificiosissimè transis, animosissimè petis, & acerrimè oppugnas. Præacuti stipites ex aquis eminebant, pedum viginti ab vlteriore ripa distantes, terræ applicare pontem non patientes. Intereà Moschus ex arce in te, tuosque hac transire cunctantes missilia, neque frustrà iactare; subtus aquæ niuibus, glacieque brumali concretæ necessariò ad bellica facienda opera in terram desilientes, præcipere. Quid ageres, qui iam vi hostium premebaris, & è muris magna globorum, missiliumque omnis generis procella obruebaris, & è munitionibus à tuis adiuuari non poteras? quid ageres, qui tuos milites iam pedem referre, acriusque

vrgen-

vrgente Moſcho, ad aquã repelli alios ante alios certatim ruere in pontem ſe ſeque trudentes præcipitari, vndisque immergi? quid ageres, cum promptiſſimos tuos Hungaros vulneratos, multorumque animos in deſperationem conuerſos non vim hoſtium, nec loci iniquitatem, ſed anni intemperiem vulneribus curandis incommodam, & contrariam metuentes videbas? Quid tunc agebas, ediſſere; nec enim iam cælare potes, quæ de tua in Deũ fide, & pietate fama vulgauit, multique literis, & monumentis mandarunt: ſiles? Antonius Poſſeuinus vir ſocietatis IESV religioſiſſimus, & prudentiſſimus à Gregorio XIII. caduceator, nuntiusque miſſus ad pacem tuo cum Rege, Moſchoque procurandam loquetur, & ſilentium tuum ita rumpet: *reminiſcor, quo feruore preces in tentorio ad Deum fundebas, cum iſthic eſſem.* Iam ergo quid ageres, non ignoro: non retrorſum cedebas in pontem, non animo deſpondebas: non temporis iniuriam, Moſchique violentiam exhorrebas: abſit, vt de animi tui robore id vnquam dicere, nedum cogitare ſuſtineam: quin etiam in tanto diſcrimine in Deum, Deum exercituum mentem excitabas, precesq; eiaculabaris breues, & inflãmatas, qui tibi animum, vireſque, vt tuis dares, augebat. Itaque in hac officina cæleſti linguam potiſſimum temperaſti, qua perfractos caſtigans animos, ne præſentibus ærumnis ſuccumberent, nec præteritã ſuarum rerum gloriam obſcurarent, & inuicti Regis exiſtimationem, famamque minuerent, cunctos conclamantes excepiſti: perſeuerandum ſibi fore omnibus aut occumbendum,

Epiſt. ad Zamoſc. fol. 109 in eius Moſchouia.

bendum, & exemplo te ducem, & hortatorem secuti tantæ arcis expugnatores, tantique hostis euasere victores. Interea militis in te obseruantiam, tuamque in hostes humanitatem laudare ac mirari non desino, dum tibi deditos liberos, & incolumes abire concedis, tuorumque in eos anhelantium vindictam compescis. Præstas re vera, præstas quæ recipis, nec perfunctoriè quidem finis, quæ scribis, intelligi. Nonnè ad Apostolicum legatum ijs verbis conscripseras: *Ego etsi fatear me non ita esse pusillanimem, vt leuiter quamuis rem incipiam, & leniter post statim deseram: non ita feror ad bellicum negotium, vt sanguine potissimam Christiano fundendo gloriam mihi parare velim: cum non desint occasiones aliundè si possim, quærenda.* Has militares, immò Imperatorias virtutes Rex Stephanus per biennium in te indies magis illustrari, & augeri conspiciens, eas diutius explorandas, atque excolendas non censuit, veritusque nè pertinacius dissimulans maiore se gloria, regnumque vtilitate fraudaret, tertio vertente anno, quo ipse acrius bellum Moschis indixerat, Plescouiamque oppugnandam petierat, perpetuum copiarum tibi imperium detulit. vellet tua tergiuersari modestia, nisi obstaret pietas: hac ergo suadentè prouinciam vt cumque tam longe tuis meritis posthumam non honoris, sed oneris nomine suscepisti *& enim virtus esse videtur præstantis viri, quæ est fructuosa alijs, ipsi autem laboriosa, aut periculosa.* Quam ob rem splendidissimo oneri splendorem adhuc addere potuisti, qui imperio *imperium non tibi, sed patria acquisieris:* magistratus ita gesseris, vt ornamentū non

ALIAE VIRTVTES ET HONORES.

Zamosci epist. ad Ant. Poss. folio 108.

Cic. de orat.

Plut. de Epaminonda, & Plin lib 6. epist. ad Albinū de Virginio Ruf. vbi eius epitaphiū recitat.

non accipere, sed dare ipsi dignitati gloriam videreris. Atqui incertum adhuc, quonam tuo Rex merito præcipuè te hoc belli principatu donauerit: num quod in te opes sine auaritia, honores sine ambitione, voluptates sine luxuria aspexerat? quid, si hæc alijs quoquet viris non legem Christianam (quam ignoraban) sed rationis vim, normamque Philosophiæ, & vestigia aliorum sectantibus cómunia esse compererat? Num quod te omnia circumspicientem, præsentia disponentem, præterita ruminantem, futura prouidentem, ex paruulis magna, & ex proximis remota, ex partibus tota componentem, perplexa expedientem, dura mollientem, ardua exæquantem, tarda accelerantem? num quòd te nec metu violatum, nec potestate mutatum, nec secundis elatum, nec aduersis deiectum cognouerat? quid? si hæc in toga, cùm Polonici te omnis iuris præfectum creauit, iam antea obseruauerat? num quod te æuo maturum, integrum viribus, vultu, habituque venerabilem scientiæ militaris expertum, ducem antequam militem, veteranum ante quam tyronem comprehenderat? quid? si hæc artis, & naturæ plus habere, quam virtutis inspexerat? Singula quidem ad summam militiæ dignitatem conferre non dubitabat, non ijs tamen pro mentis solertia, & animi magnitudine euinci potuit, vt tandem in re bellica se se, totamq; Remp. tibi committeret, nisi quòd in te immortalia, & diuina cognouerit, nisi quod in Deum, in se, in Patriam continens studium, amoremque, & obsequium perceperit. *Paruisti* semper, *&* ad perpetuum

Anaximãder de Imperatore eligendo.

tuum *principatum obsequio peruenisti, nihilq; magis à te subiecti animi factum est, quam quòd imperare cœpisti. Quid enim est in principatu tuo, quod cuiusq; de hac re prædicatio, vel transilire, vel præteruehi debeat? Quod monumentum: quod immò temporis punctum*, aut hoc obsequio *sterile* aut submissione *vacuum*? *sed nè singula consecter, & colligam, quasi verò, aut oratione complecti, aut memoria consequi possim*: duo quæ prima mihi facie occurrunt dicere, non grauabor: primùm, cùm inter multos scribendi, & sculpendi viros, qui te encomijs, & iconibus celebrare contenderent, Iacobus Laurus exilteret, qui vt tui studiosissimus, ac de te, tuaque Republica meritissimus arcum triumphalem tuarum rerum historia superbissimum in ære inciderat, tibique dicare parauerat, huius rei conscius acriter pro tua modestia, & suauiter pro humanitate certasti, nè huiusmodi tibi laudes obtruderet, quas in Regem, ac Rempublicam deriuandas esse cognoueras. Tuam hac de re sententiam, quam ad virum tuis à negotijs Romæ commorantē scripsisti, audiamus: *quod D. Laurus res à me gestas cogitationem suscepit sculpendi grata mihi est, ipsius hæc amica voluntas. Sed quæso exponat illa eadem illi, mè regium subditū esse, legibus, & Reip. parere, ad hos laudes huiusmodi esse referendas: nihilominus magnas me illi hoc nomine gratias agere, & si qua in re potero, gratificandum*. Incredibilem profectò rem fecisses, ZAMOSCI, si splendorem tui nominis condere, & obscurare potuisses. Quemadmodum Sol, nec deliquio laborans, nec nube tectus, nec in alterum semiorbem translatus, suum iubar amittit: quin alibi se

Plin. in Panegyr.

Zamosc. ad Agentem suū Romæ.

ſe radiante ſidere manifeſtet: ita tua claritas virtutum tot aucta luminibus, quo magis modeſtiæ tuæ velo contegi, aut inuidiæ tenebris occultari, aut mortis tempeſtate mortalium ab oculis videtur auferri, eò magis in orbe diffunditur, & dilatatur. *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita*. Fruſtra conaris, ſi ſcintillas hic ſparſas congeſta humo ſopire cogitas: aliunde enim fortiùs erumpentes cohibere non potes. Certa cum fama, tuaque cum vmbra certare videberis. *Gloria vmbra virtutis eſt, etiam te inuictum comitabitur*. Quod ſi eam viuens *antecedentem* ex te nuſquam vellere, & ſeparare potuiſti: qui fieri poteſt, vt eadem, quæ poſt obitum tibi *in auerſo eſt maior, quo ſerior, vbi inuidia receſſit*, ſuperetur? Deinde nec alienum à magnitudine tua fuit, nihil te velle agere, vel tibi fieri, cuius antea Rex gloriam non haberet, aut ſuum de eo conſilium, mentemque explicaret. Itaque cum Nuntio Apoſtolico de Domino Ponto per literas ita piè, & ſyncerè conquereris: *mirabar à D. Ponto ita miſſum fuiſſe* (nempè Dominum Laurentium Cognolum) *vt ad S. R. M. literas ferret: nec eas quidem à ſereniſſimo Sueciæ Rege, ſed ab ipſo Ponto: legationẽ autem ad me obiret, & inſcia, & præterita S. R. M. Domino meo. Reſpondi D. Cognolo, vel ire debere ad R. M. dominum meum, vel mittere*. Et paucis pòſt interiectis; *nec me quoque cum miniſter ſim, inconſulto Domino, quicquam facere oportere*. Pauca hæc dicta ſufficiant: quid enim in dictis, ſententiiſque tuis immoror? ſi maior tuarum rerum ſegete inundans campus occurrit? quæ ad meſſem cum gloriæ, & annorum maturitate peruenit?

Senec. epiſtol. 80.

Zamoſc. ad Poſſeu. epiſt. fol. 110.

uenit? Quid hac messe felicius, quid fœcundius, quæ duntaxat manipulorum, qui intercidunt, reliquijs ieiunam meam orationem vberem facit, tuarumq; laudum horreis sempiternis amplificat? Si Ploscouiam, si Veronecium lustro, cumulos tuæ virtutis aspicio: summam animi fortitudinem, summam patientiam, & summoperè in re bellica laudandam astutiam colligo, ac venerabile tuum in Regem obsequium veneror. Nam cum Rege ad Plescouiam, Veroneciũque profectus ibi arduo, & aspero Ostrouium situ inaccessibile inuadis, ac penetras, regiamque in potestatem abducis, & ad Plescouiæ oppugnationem promouendam relictus, acerrima hyeme hostem strenuè intra magna mœnia semper cũ strage compellis, astusque eius omnes sagacitate ingenij anteuertis. Itaque multis ille à te prælijs attritus, cladibusque affectus, totiusque amittendæ Liuoniæ metu conterritus, pacem ad Regis arbitrium, legesque impetrat; tum verò totam cedente hoste Liuoniam recipis. Si Podoliam percurro, ibi copiosum, & opimum lego pacis, & prudentiæ manipulum, cum colonias eò à te deductas considero, quibus à Tartarorum, & Turcarum confinio sartum, tectumque seruas imperium. Num plura? adhuc plura dicenda superant: sed hic paulisper sistendum mihi esse iudico; dum video totam Poloniam luctu, & mœrore confusam, ob Stephanum sibi Regẽ extinctum. Prò dolor, pace per te, Nuntiumque Pontificium cum Moschorum tyranno (qui quod Domitiano execrabilior foret, à tanto hoc Stephano occidi, & superari non meruit) composita, in ipso

Alluditur ad Stephanũ, qui Domitianum occidit, vt tradunt Philostr. lib. 8 & Dion xx. & Suet. in eius vita.

rerum ingentium ſuarum, tuarumque curſu corre-
xx & Sueton. in eius vita. ptus euanuit, tibique ſui ardens deſiderium, & intentiorem Regni curam reliquit. Sed tuis in Deum ſuſpirijs, precibuſque continenter effuſis vtrumque dolorem mitigaſti. Enimuerò deſiderium Criſilde nepte, ex fratre Principe Trãſyluaniæ defuncto ſibi dilectiſſima, quam ipſe, & tecum ſocietatem, & affinitatem inire gaudens, quaſi diſceſſurus pignus amoris ſui in matrimonium dederat, temperaſti: curam verò ſereniſſimi SIGISMVNDI, qui nunc feliciſsimè imperat, creatione leuaſti. Ergò interregni moleſtias, ac tempeſtates, rem non cum hoſte certo, & furibundo, ſed cum ciue dubio, & turbato acturus, non mœnia, non arces capturus, ſed animos, & ſuffragia capturus aggrederis. Leges patrias & inſtituta recitas, ſeruanda contendis: Ordinum, & Senatus Polonici nulli, nec Romano quidem ſecundi (idque ex illius priuilegijs, cum in culmine poteſtatis, & honoris erat, de quibus, & volumen edideras, demonſtrare non deſinis) auctoritatem, amplitudinem, & libertatem commendas: et quam præclarè cum Polonis actum eſſe doces, imperium ſibi non in ſucceſſione, ſed in electione conſiſtere: ſic in ſubditorum maiorem vtilitatem, Regiſque in gloriam cedere, & tanti Senatus, Ordinumque au-
Tacit. 1. hiſt. Plin in Paneg. ctoritatem augeri, *dum quem optimum electio inuenit*, & antea diſcuſſio oſtendit, & experientia comprobauit, dignus qui omnibus imperet, iudicatur. Mones ergò nè hanc, qua nihil eſt præſtantius, libertatem opprimi patiantur Regem vi libidinis, non rationis arbitrio, ſtudio, non merito cooptantes. Qua
in re

in re vniuersitatis commodo, non autem suo quisque lucro consuleret. Denique Regem, quem eligerent, & iuberent, SIGISMVNDVM Ioannis tertij Sueciæ Regis, & Catharinæ sororis Regis Sigismundi Augusti filium ante oculos proponis, dignumque iudicas, qui ad Lechos fortissimos, ad Cracos domi, bellique industrios, ad Piastos intrepidos, ad Leschones bellicosos, & sobrios, Boleslaos fortes, & in rebus agendis promptissimos, Casimiros pios, & iustos, religionisque amantissimos, Vuadislaos Turcarum generis fatale semper exitium, Iagielones magnanimos, ad Sigismundos, suumque eiusdem nominis auunculum inuictissimū numeretur, præterea, qui Stephano felicissimo, subinde succedat. Tandem verò persuades, exclamationemque omnibus exprimis, tuisque, ac omnium suffragijs eligis, armisque defendis. Cracouiam factionibus tumultuantem reprimis, & ab aduersarijs expeditam, tutamque Regi tradis: eosque facto impetu repellis; tormentis exuis, insequeris: & ad Berina oppidum consecutus collatis signis, consertaq; manu dissipas, eorumque ducem in potestatem abducis. Hac seditione compressa, regnoque in quietē redacto, numquid à laboribus quiescēdum putas? *instar refectionis existimas mutationem laboris: quæ enim remissio tibi nisi* tanti Regis auspicijs Turcas ferocissimos debellare, tyrannos opprimere, arcesque munitissimas expugnare? Valachiam citeriorem, quam Moldauiam vocant, Turcarum Rex agitare cœperat; quod Hieremiam genere Valachum, religioneque Christianum, iam antea ciuitate donatum, ideòque Reipu- *Plin. in paneg.*

blicæ

blicæ notum, & amicum vtrinque conciliandæ pacis ſtudioſum, legatorum, & mercatorum eò commeantium defenſorem, ac vindicē, tandem popularibus ſuis acceptum ab eiuſmodi præfectura deturbare, eiuſque loco Achmeten Baſſam Telinenſem ſufficere parauerat, atque ea propter Achmetis auunculum, & affinem rem exequi iuſſerat. Itaque Nohaicos Tartaros, & nonnulla Turcarum millia ad Baſſam ingentibus quoque copijs armatum deduxerat. Barbarum in vlteriorem Valachiam per Danubium tranſijſſe cognoſcis, hoſtem, & Turcam appropinquantem vides. Intereaq; ex Senatus conſulto mandata accipis, vt in Moldauia, ſemper integra cum Turca pace, rem geras. Quid hic ZAMOSCI, acturus ſis, ex te ſcire ad diſciplinam, & imitationem duces, & imperatores expectant: quo pacto cum Polonicis Turcæ finibus aduentantis vim vi repellere, Hieremiamque à tyranno tueri, eumq; renitentem conterere debeas, pacem tamen cū hoſte ſeruare ſuſtineas. Si eo repulſando deſiſtas, ciui, ac ſocio iniuriam, & indignitatem fieri, legatiſque, & mercatoribus impunitatem adimi, Barbaroque impotentiam augeri, & Reipublicæ imminere perniciem vides. Hic mirabili tua ſapientia, & virtute vtendum eſt. Ecce autem dum precibus Deum conſulis, eiuſque imploras auxilium, Regemque de periculo mones: & ad Baſſam, nè quid in Valachia contra ius Regum Poloniæ, contraque fœdera, & conditiones pacis moueat, ſcribis, meritaque Hieremiæ, & in vtrunque regnum officia exponis: dum Ruſsiæ, Podoliæque Senatores, quos proximè

habi-

habitare nosti, in castra conuocas, & quid sentiant, quiduè sit agendum, interrogas, Nuntius Pōtificius Malaspina, quasi à cælo afflatus te ad occupandam arcem Clocinensem, quo solo propugnaculo Moldauia nitebatur, literis pungit, & hortatur. Tu ergò quasi diuino oraculo monitus, arcem occupas, & cū sex tantum circiter equitum, peditumque millibus Barbari conatum eludis, atque iterum, iterumque petentem multa cum suorum strage domū remeare cogis, & Moldauis præpositum Hieremiam confirmas. Iam verò solitus superbiam, & furorem tyrannorum contundere, in Michaelem Vaiuodam vlterioris Valachiæ palatinum hominem schismaticum inueheris, qui Cardinalem Battoreum Transyluaniæ Principem, dolo vicerat, & interemerat, & Transyluania potitus fuerat: eaque victoria elatus Moldauiam prædabundus incesserat, atque expulso Hieremia, quem à Bassa defenderas, occupauerat; eundem desiderato ex tuis nemine, ab vtraq; Valachia detrudis, Valachiamque citeriorem Hieremiæ restituis, & vlteriori Simonem eius fratrem cum annua quadraginta * Hungarorum millium pensione pro loci illius præsidio præesse iubes. Multa hic de tua erga Battoreos humanitate, multa de fortuna, & virtute considerans, id solum de tua singulari temperantia præterire non possum, quòd Transyluania tyrannum excussisse, & Battorei amplissimi viri cædem vindicasse contentus Transyluaniam, quam vti derelictam inuadere, & occupare poteras, intactam reliquisti. Quid? nisi vt Battoreis semper gratificandi pateret campus? deinde vt militarem

* Nummorum.

militarem abſtinentiam tuis in memoriam reuocares, & quauis data occaſione exerceres? ne eorum *non modo manus, sed ne veſtigium quidem cuidam pacato nocuiſſe* videretur.

Cic. pro leg. Manil.

Nec enim tuorum militum armis aliud, quam tui nutus ſigillum imprimi neceſſe erat, qui tanta diſciplina contenti, adeòque parentes, & obnoxij ſæpiſſimè id agebant, quod apud veteres Romanos quandoque accidiſſe *memoria proditum eſt: pomiferam arborem, quam in pede caſtrorum fuerat complexa metatio, poſtero die, abeunte exercitu intactis fructibus relictam*.

Henr. Farneſ. Eburon. in Paneg. Pro Ruſcorũ familia.

Scaur. apud Frontin. 4. Stratag. c. 3.

Quid ergò mirandum, ſi tantum hoſtibus, ac præſertim tyrannis timorem incutis, vt tua vmbra, vel fama perterriti fugam corripiant. Nonnè hoc Carolo Surdemaniæ Duci Sigiſmundi tertij Poloniæ, Suetiæque Regis inuictiſſimi patruo euenit? Qui cum gubernandi regni Suetiæ munus à Rege ſibi demandatum ſuſcepiſſet, id violata ſanguinis, & iuriſiurandi lege occupauerat, & in dies magis ac magis regnandi libidine efferebatur; iam Regni incurſiones, iam Liuoniam iuris magni Ducatus Lituaniæ, & regni Poloniæ ferè totam inuaſerat, Rigamque illius prouinciæ metropolim, & emporium obſidione graui premebat. Iſte ergò in maiorem potentiam euectus in omnes præterquam in te audacior exiſtit. Non enim tuo expectato in prouinciam aduentu, ſed tantum profectione audita, delata ſumma belli Ioanni Naſſouio in Suetiam fuga ſe recipit. Tandem venis, captaque ibi Volmaria natura, & arte non ſolum veteribus muris, & turribus, ſed etiam nouis operibus munitiſſimo cum arce oppido, captoque in eo Caroli

roli filio Nassouij collega, tanto Nassouium timore afficis, vt ne curandi quidem corporis causæ cibo parato ex equo descendere audeat, sed immissis equis incitatissimo cursu, veluti tergo illius hæreres, cum tamen sex milliaribus Germanicis abesses, Ostrouium versus contendere. Inde Nouogradum arcem Vlmariensi ampliorẽ, & duriorem, quòd aggere alto, fossa lata, & profunda, muroque triplici, quorũ alius alio in maiorem se se crassitudinem effundebat, prætereà milite, victu, omnique bellico apparatu abundantissimè munitam expugnas. Identidem in deditionem cogis arcem Cheremptiam tam ab hoste instructam quantum Suecorum tuendis finibus, tuæque obsidioni tolerandæ par erat. Porro Mariemburgum, Rureburgumque subigis. Quid autem non peruaseris? quid non tuis viribus perdomueris, cum Ancelum opere, & natura munitissimúm expugnare potuisti? Illud natura ab occidente, & meridie Gauia vasto, profundoque amne ambierat: à septentrione verò vtrinque fossa altissima cinxerat, cui subinde ars imitata naturam 400. passuum latitudine fossam ex vna, & altera parte commiserat, & abruptum à continente collem effecerat, & in eo arcem specie triangulari condiderat: aditu vndiq; adeò difficile, vt solo etiã æquato impeditissimum receptum haberet. Hoc tamen quasi de cælo immissum fulmen (quid enim hoc te nomine sæpe non dixerim?) penetras, & expugnas. Fellinum deinde superas felle, aut absynthio amarius, Anceloque non inferius; quippe quod arx est ciuitati continua, duplici antemurali, & prægalto muro con-

ſtans, præter ea quæ ardui colles, præcipites ſcopuli, abruptæque valles per circuitum arcem inuiolabilem fecerant: adhæc etiam anteriori muro, foſſa, & ingenti aggere cingebatur, Fellinum tamen dulce, & tractabile efficis, alijsque captiuis annumeras. Creſcit indies labor ac difficultas augetur, eoque magis tibi animus ad maiora prouehitur: ergo Bialocamino, vel Albo lapidi imperuiæ oppugnandi arci, quòd vndique redimita paludibus, propugnaculis inſtructa, ob virorum denique, commeatus, & tormentorum copiam, vnum, qui extabat aditus, impenetrabilem obiecerat, non parcis, præſertim decembri, quo regio illa Aquilonaris cælum implacabile patitur, vbi frigus perenni glacie, niuibusque cõſtipatum ſolito membra acrius exurebat: quòd eo calor vitalis circumſeptus, introque compulſus augeſcit, & acuitur, atque in ſe ſe ipſe reflectens corda lethaliter adit, vnde artubus membrisque ſtupor, motus intermiſſio, vitæque defectus ſubrepſerat. His etiam acceſſerat, quod nihil ad kal. Maias remiſerat. Quam obrem nec ſegetes colorem ducere, nec maturitatem contrahere, nec grandeſcere poterant: quin etiam ſemigrano ſpicis relicto abortire, alimenta hominibus, equisque negare cœperant. Nec vllas ſpes veteris annonæ ſupererat, quod inde eam hoſtis auexerat, reliquam verò palantes, & errabundi coloni cryptis per agros abdiderant. Partim ergo gelu, partim fame ipſi, militesque abſumpti cadaueribus campos, villas, oppida, domos, caſtra, viasque compleuerant. Interea milites varia rerum clade vexati, diuerſa affecta-

re:

te: alij missionem, alij in loco clementiore subfugium petere, omnes cibaria, quæ defecerant, multi medicinā, multi vestes quibus frigus arcerent, implorare. Extrema calamitas iram, & desperationem pepererat. Quotus quisque ergo duces suos, ducesque te adire contendunt, qui te his verbis aut se dimitti, aut in mitiorem locum migrare, aut rebus necessarijs subuenire solicitent. Quousque tandem, Dux noster, nos hinc manere constituis? quorsum iam prælia, & obsidiones expectas? vbi locus? vbi tempus? vbi vires? nonne omnia nobis incommoda, & aliena cognoscis? Locus est aquilonaris plaga, qua nihil infestius: tempus hyems, qua nihil acerbius, vires militum, qui tecum sitim, & inediam, tecum æstum, frigusque ferre consueuerant, nunc tandem enerues, & exhaustæ sine cibo, sine amiculo, sine medicina (ne de ijs, qui dispereunt, loquamur) sine suffugio languescunt, non detrectare munia, sed sustinere non possunt. Idem animus est tuis, qui fuit semper: ire quo iusseris, pugnare, periclitari, sanguine nostro Sigismundi Regis gloriam redimere, & vindicare. Proinde si perseueras nudi quoque, & exangues, ac moribundi sequimur vel antecedimus. Sed si audire vis non fictas tuorum militum voces, verum necessitate vltima expressas, præbe quæso propitias aures imperium atque auspicium tuum constantissimè secutis, & quocumque pergis secuturis. Vicisti Dux, vicisti magnitudine rerum non hostes modo sed etiam milites. Quicquid mortalitas capere potest, impleuimus. Octo & viginti annos sub te meruimus, tuamque secuti

Oratio Duci ad Zamoscium.

fortunam nullum ſignum militare amiſimus, vno excepto, quod ſub idem tempus maiore cum laude recepimus, tecum vaſtos, & immanes fluuios enauimus, tecum ſilueſtri, & paluſtri loca lubrica proculcauimus, arces inexpugnabiles cepimus, Moſchos, Turcas, Tartaros vicimus; gelu alſimus, æſtuque arſimus, ſudorem, & cruorem profudimus, tyrannos oppreſſimus, Tranſiluaniam, Valachias, Liuoniamque recepimus, magnam Moſchouiæ partē inuaſimus, victorias Sigiſmundo Regi inuictiſſimo ex Carolo vertēte terga, eiusq; capto filio reportauimus. Quid adhuc in ſterili, & intractabili ſolo ipſis quoque incolis horrifico, cum omnium tuorum clade, & miſeria immorari perſiſtis? Naturæ ſummo iure, vel iniuria pellimur: cur ſtamus, cur non imus? Nec naturam vtcumque ducem, & vindicem ſequimur? lege quoque gentium communi conuincimur, quæ armis ſuperſedere iubet hoc tempore, bellaque conquieſcere. Omni iure poſſumus obſidionem per id tempus relinquere, & alibi ſtatiua quærere, vbi milites conualeſcant, & alacriores ad oppugnandum redeant. Quod ſi noſtri non miſeret, te tui certè miſerere debuerat, cui ſexagenaria iam friget ætas: & frigus frigori non addendum, ne vita, vnde diſciplina noſtra, ſaluſque pendet, extinguatur. Poſtremò ſi hic ſtandum cogitas, digna prorſus cogitatiò animo tuo, ſed altior noſtro. Itaque ne ignauiæ, ſed neceſſitudinis, ac deſperationis vitio vertas, ſi milites miſſionem poſcant, & quid poſtea admittant, quo tui nominis gloria offendatur, & noſtra tot annorum merita abole- SENECTVS.

abole-

abolescant. Hæc tecum, quam sine te cum militibus loqui maluimus, non vt iniremus exercitus tui gratiam, sed vt ex nobis animum militum, vocesq; cognosceres, periculoque imminenti consuleres. Gratias agis Ducibus, atque è vestigio milites ante tabernaculum coire iussos è re nata blandè, paternèque alloqueris. Vestram, ò filij, causam Ducum fide, gratiaque relatam cognoui; querimoniæque ratione perpensa, quam decoram, iustamque in alijs, in vobis turpem, & iniquam esse iudico. Nũ barbarica, impiaque castra sequimini? num nefaria bella geritis? num externas miscere Respubl. Reges occidere, regnaque per vim, & fraudem occupare cogimini? ATQVI non hæc nostris Principibus mens vnquam fuit, nec subinde in regium, Christianumq; pectus eiusmodi cogitatio potest incidere. Quid autem cum ducibus vestris, mecumq; huc contenditis, quam vt à tyranno nostra vsurpante repetamus, & Sigismundo Regi nostro ingratissimum, & infestissimum caput, potentia, vitaque si oporteat, exuamus? Quid hac expeditione sanctius? quid magis rationi consentaneum? Nonnè hoc in Patriam, Regemque pietas, in Duces obseruantia, fidesque postulat? non nè iurisiurandi, quo obstricti estis, lex conscientiam vestram redarguit, ne quæ vos furor, aut necessitas cogit, admittatis? vos qui adhuc inaccessas adijstis arces: Turcas, Moschos, Tartarosque debellastis, qui sub eodẽ hoc cælo niues, ventosque tolerastis, qui Tartari, Cęlique victores fuistis, quod minimum restat, victuri deficitis? qui adhuc inuicto pectore ad immortalitatem incubuistis,

Oratio Zamoscij ad milites.

ſtis, nunc temporis viciſſitudine commouemini? Caroli, Naſſouijque frontem non timuiſtis, immò vtrumque, vnum poſt alterum fugaſtis, nunc eorum terga, vmbramque exhorretis? ac de miſſione, exceſſuque cogitatis? Quomodo illa veſtra inuadendi hoſtes alacritas, pugnandique virtus tam ſubito in deſperationem, & tremorem non ex gelu contractum, ſed ex hoſte conuertitis? Patrem veſtrum ſexagenarium deſerere paratis? Faceſſite hinc ocyus; qui degeneres eſtis filij, & veſtræ virtutis, fideique præconia, qua iter erit edicite. Neminem veſtrum teneo: liberate oculos meos ingratiſſimi ciues. Lætus vos Rex excipiet ſine veſtro duce redeuntes, obuiam populares ibunt deſertoribus, transfugiſque. Vos autem mecum manete felices, qui vera eſtis pignora à Deo pro eius religionis augmento, tyrannorum ſupplicio, Reipublicæque ornamento conceſſa. Nuditatem ego veſtram operiam, inediam implebo, valetudinem curabo, mortem celebrabo. Quid enim pulchrius, quid glorioſius, quid etiam ſalutarius, quam pro tam iuſta cauſa mortem oppetere? Album mihi hunc, qui ſupereſt, lapidem expugnate, hoſtilique cruore inficite. Lidius hic lapis erit vltimæ fortitudinis veſtræ index; quo ſuperato miſſionem habebitis honeſtiſſimam, & mutationem non alio quam in patriam, vbi veſtrarum me rerum memore arbitro præter gloriam, congiarijs, præmijſque donabimini. Vix finem orationi feceras, cũ clamor vndique ploratu immixtus exoritur te patrem, dominum, confuſis appellantium vocibus. Interea concione demiſſa, militibus, quæ

promi-

promiser... [illegible]eruanda curas: tuoque ære partim pro-[illegible], partim mutuo ex amicis accepto, omnia omnibus fuisti. Non deinceps concisa sibi veste Traianus ad colliganda militum vulnera de tota sua gloria iactabit, coactus eam tibi impertiri, qui de tuo sanguine tuis medicinam, cibos, vestesque suppeditas: nec Alexander Seuerus sibi totam magnificentiæ laudem vendicabit, qua *aurum, & argentum rarò cuiquã, nisi militi dedit, nefas esse dicens, vt publicus dispensator in delectationes suas, & suorum conuerteret, id quod Prouinciales dedissent*, tecum ipse compositus, qui non de tuo solum, sed etiam de mutuo milites tuos foues,& confirmas. Magis verò magnitudinem tuam miror, quod sexagenarius lethali viges in gelu. Viuentium nescio quid genus paulisper viuere, & respirare in igne deprehenditur, in glacie adhuc præter te neminem. Nonnè hoc etiam ipsi naturæ mirabile? vtique: quòd superet eius fastigium: dum non humanis viribus, sed puræ in patriam pietatis auxilijs annis frigidus in glacie viuis, & duras. An verò præteritos tibi annos referri dixerim? & quemadmodum in te senectus repræsentauerat iuuentuti iudicium; ita nunc iuuentus senectuti animum, viresque compensat? In Macedonica phalange tot sexagenarios milites, quot Senatores iam visi: in Polonica ducem sexagenarium veneror, & admiror senili, ac iuuenili laude conspicuum. Itaque nũquam Reipublicæ illius triplicem chorum agere potuisti, quorum primi canebant, se strenuos, & inuictos viros fore, alteri se esse,tertij se fuisse. Nam qui ad immortalitatẽ adspiras ætatis defectu proficis, & excessu non

Dion de bello Dacico.

Lamprid. in Alex. Seuero.

ſu non deficis. O pietatis prodigium, è nobilis, fidique Poloni conſtantiam. His Deum flectis, & exoras, his animos militares obſtringis, his hoſtem ſuperas, & arcem Bielocaminum expugnas, victorque redis in Poloniam. Iucundè exceptus in Patria, & magnificè à Rege laudatus victorias eius precibus a Deo acceptas breui oratione confirmas. Has laudes, & gratias, Rex inuictiſſime, Deo, tibique debeo, qui diuino nutu, infirmum me miniſtrum cooptaueris, precibusque adiuueris, vt hoſtis non viſus, nec offenſus vexillo tuo cederet, arces arte, naturaque inexpugnabiles dederentur, ac nè totus in Bielocamino exercitus, extremo gelu, rerumque omnium penuria, & hoſtis acerrima propugnatione maneret extinctus. Quo plura fecerim, eo magis debere non dubito: ſolum tamen progrediendi plus vltra, & Suetiæ tuæ recipiendæ ſtudium, ſi vires ſufficerent, mihi debes. Sed videris quid agendum, cum nonniſi domita Moſchouia illam recipere, nè dum tangere valeamus. Debes, Rex, identidem, duces, ac milites, qui adhuc ſub tuo auſpicio mecum ſocietatem initam conſeruarunt; qui promptius parere mihi, quam diligentius ego illis imperare noui, laudare, & augere muneribus. Hac in re fidem tuo me ijs datam nomine liberabis. Finieras: & iam Rex Duces, arceſſere, commendare, & promouere: milites benignè intueri; eorum obſequia, & virtutes extollere; præmijsq; excitare iam cœperat. Tu lætus non magis ob ſumptam ex hoſte vindictam, quam ob aſſertam veritatem promiſſis, non magis ob arces captas,

Oratio Zamoſcij ad Regem Sigiſm.

ptas,

ptis, quàm ob fidem liberatam discedis, & ad tuos reuerteris. At quid tui sic te immemorem video, vt nè verbum quidem de ære militari, quod luisti, & nominibus, quæ pro soluendo contraxeras apud Regem facias? Vestes, & fomenta, quæ dedisti militi, tacenda existimas? APVD virum ingenuum recordari sua in patriam merita, exprobrare est. Ea te inuito, memorant, extollunt, prædicant militaris turba, quæ vna voce testatissimum tuæ largitatis, & prouidentiæ testimonium reddunt, & argumentum paterni erga se amoris continenter ostendunt. Nihil in te hoc frequentius, & antiquius. Sed proh Deum immortalem, quænam proximè extingenda lux mihi occurrit, solito maius lumen euibrans; idque pietatis, & religionis quo tota accenditur, & exardet? cui cætera composita conniuerint, & obscurantur lumina? Tu es ZAMOSCI, qui felici senectuti iam deditus, ac communis necessitatis vias autumans, effundis, quæ tibi magis curæ, cordiq; erāt: cultum vnius, triniq; numinis in Moschouia, atque inde in Oriētis partibus propagare, de quibus Nuntius Pontificius tibi gratias egerat, his verbis: *iam de eo quod V. D. M. cupit, vt à me in Moschouia, Orienteq; possit promoueri, vbi ad Moschum rediero: agnosco Christiani Principis, idest V. D. M. animum, qui si cæptis Pontif. Max. apud serenis. Regem; atque alibi (sicut pro certo habeo) mihi affuerit non minima de Dei bonitate spero:* sacrum operari (cuius facultatem obtinuisti) *in Ecclesijs pristinis Liuoniæ ab initio in vsum Religionis Catholicæ extructis: deinde verò in illa casuum varietate, quæ Liuoniam exercuit, in aliorum*

Possev. ad Zamosc. epistol. fol. 109.

Zamosc. ad Possev. epist. fol. 108.

 schis-

schismatis, & hæresum vsus conuersis: hæreticos ad fidem reuocare, coramque Deo absoluere: quod etiã impetrasti: gratias Deo agere pro beneficiorum memoria: quod sæpiùs fecisti, & aliquando significasti: *teneor cupiditate in Ecclesia Episcopali* (nempè Liuoniæ) *Perpatensi cum exercitu vniuerso immortali Deo pro beneficijs acceptis gratias agere*. Christianorum in Ottomanos Principum fœdera exoptare, & pro Hierosolymæ liberatione vsque ad sanguinis, vitæq; effusionem pugnare: templa Deo, Diuisque ædificare, & instaurare. Quod ad pietatem spectat, Regni iura, legesque æmulari, fines tueri, ciuem seruare: hæc omnia cum insignia, & heroica, tuoque digna pectore existant, nihilominus cedunt ijs, quæ deinceps patraturus Regem, ac Senatum solicitas. Liuoniam Caroli Surdemaniæ tyrannide iterum occupatam, & multorum ciuium sanguine recuperandã fore cognoscis, vt tam multo sanguini parceretur, te Regi offers mactãdum pro patria, & obnixè petis, vt per literas ad Ducem missas clarigari iubeat, se dirimi singulari velle certamine, vt victus suo iure cedat, missamque Liuoniam faciat. Quis te antè Codros, Curtios, Horatios, Scæuolas ferendum non putet? qui patriæ, vel vnius saluti ciuis tuam posthabere non dubitas, *præstare* dictitans *occupatam ab hoste arcem dimittere, quam nobilem Polonum pro illa recuperanda amittere*: Qua in re Scipionis, & Antonini Pij recolis; & imples sententiam dicentium: *malle se ciuem Romanum seruare, quam mille hostes necare*: Vitellijque tyrannicam damnas, qui *cadauerum tabem ex prælijs sentiens, optimè olere, dixit, occisum hostem*,

fol. 100.

Idem. Ibidem.

Vide nostrum lib. de splen. Vrbis, in columna Antonini. Sueton. in Vitell.

hostem, melius ciuem, cuius internecione oculos se pascere iactabat. Nonne, & tu clarus, & ciuis quoque? cur ergo non idem de te sentis? cur sic vltro tui iacturam proponis? Te vero amisso, quot Zamoscios Polonia sibi pensabit? PROH PIETAS proh fides in Patriã, quæ cælestem curam mortali inijcis, eique viuendi & propagandi cupiditatem à natura inditam adimis. Hæc igitur te impulit pietas, vt filium quem tecum in comitijs habebas singulare tuæ senectutis solatium, posteritatisq; spem vnicam, è medio tollendum pro Regis, & patriæ defensione si opus esset, offerres. Atque eandem religionem, & pietatem, quam viuens THOMAM optimæ indolis, & spei filium docueras, moriturus verbo mones, mortuusq; testamento monitum velis. Claruit tua pietas, claruit, & post mortem religio. Moriris ZAMOSCI, tandem tuæ Poloniæ occidis, sed polo omnia, & eterna victurus secula nasceris: abis nusquam amplius terrestri inueniendus in patria, sed vbique præsens tuarum rerum memoria futurus. I felix anime, & *locum patriæ defensori, religionisque vindici definitum*, veram laborum requiem, verum virtutis præmium posside, qui nec fortuna mutari, nec tempore labefieri, nec inuidia violari, nec ambitione vinci, expugnarique potest. Iam precarium stemma, quod mirabili arte, & ingenio excogitasti *vtraque ciuis*, verius tibi conuenit: ecce vtriusque Patriæ ciuis gloriosus existis: ecce iam laurea, iam oleagina cælesti cingeris pro interna, & externa Rep. quam domi forisque flexeris, & domueris. *vtraque ciuis:* iam veræ sapientiæ, Palladis nomine adumbratæ gemi-

MORS

Cic. in somno Scipionis.

Symbolum literarii vtraque ciuis.

geminam gloriam, quam nec obliuio delere, nec ægritudo vexare, nec senectus infringere, nec mors ipsa demoliri potest, amplecteris. Ecce Heroes clarissimi, ecce bonũ ciuem, strenuum militem, prudentem imperatorem, integrum magistratũ, philosophum sapientissimum, religiosum principem, quem initio non tam mihi laudandum, quã vobis imitandũ proposui. IN IOANNE ZAMOSCIO Christianum habetis politicum: hunc colite, & imitamini: *longum iter per præcepta, breue, & efficax per exemplum*. Quæ mea incondita oratione explicare non potui, vestra vos contentione perficite: quæ ingenio non attigi, arte non excolui, stylo non expressi, vos consilio, Marte, & gladio consequimini.

Seneca.

LAVS DEO.

Typi lapsus *sic corrige*.

Pag.	lin.		
15	1	criminatoribus,	criminationibus.
22	17	mitteris,	mittaris,
Ibid.	11	conlugis,	coniungis.
29	1	fbis,	fiõn.
31	23	regnis,	regni.
33	3	causæ,	causas.
35	27	auræ,	aura.
39	1	exemplo,	exemplo;
42	9	certa cum fama, quam si silentio damnare potes; ipsa de te virtus loquitur, certa cum gloria, tuaque cum vmbra, &c.	
Ibid.	20	regni cursionis,	in regnum incursiones pararuerat.
42	2	causæ,	causa.
Ibid.	6	contendete,	contenderet:
52	4	palustri,	palustri situ.